PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLAE AESOPIAE

RECOGNOVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXXXV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

KLETTIO · SVO

D · D · D

LVCIANVS · MVELLER

Mart. Epigr. III, 20, 5:
An aemulatur inprobi iocos Phaedri?

Avianus epistula ad Theodosium:
Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poematis suis Flaccus aptavit, quod in se sub iocorum communium specie vitae argumenta contineant. quas Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit. Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit.

Idem infra:
Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere etc.
Respexit ad I prol. 6.

Prudentius Cath. VII, 115:
Alvi capacis vivus hauritur specu.
Respexit ad IV, 6, 10.

Titulus qui legitur apud Gruterum pg. 898, 16, versu quodam Phaedri [III, 17, 12] celeber ille, valde suspectus [conf. Ritschel. Anthol. Lat. Coroll. pg. 13].

DE PHAEDRI VITA ET SCRIPTIS.

I. Phaedrus Augusti libertus — non satis constat, eius qui primus hoc nomen accepit an successoris Tiberii — natus est, incertum quo anno, in monte Pierio apud Macedonas. Idem tenera adhuc aetate in occidentem videtur esse delatus, ut qui ipse asserat, *puerum* se legisse in schola Enni quendam versum, sive Romae id fuit sive potius alibi. Romae enim haud ita multum post Vergilii et Horatii obitus sublatam omnino e ludis antiquorum memoriam docemur eis quae de Valerio Probo, Phaedri aequali, tradit Suetonius [de ill. gramm. 24]. Ceterum ubi in familiam Caesarum transiit, et liberalium artium studio et dexteritate morum effecit ut libertate donaretur.

Iam regnante Tiberio cum bina fabularum volumina emisisset, Seiani fraude est circumventus. Erant enim in eis quae a civitate serviente et cuncta malignius interpretante haud incommode possent flecti in hos ipsos, ut puta quae de ranis regem petentibus vel de graculo superbiente prompserat scriptor, ne alia pleraque, quae pravitate conscientiae aut suspicandi temeritate trahi potuere in crimen, nunc tangamus. Quod cum ita esset, a Seiano vel clientibus ipsius maiestatis est accusatus damnatusque haud dubie, etsi de poena eius non satis constet. Neque vero interfecto Seiano inimicorum odio et insectatione caruit idem, quibus obnoxium se identidem fatetur libro tertio. Hunc cum leniendo dolori composuisset, Eutycho cuidam inscripsit liberto C. Caesaris vel Claudii quem simul ut se vindicaret a periculis in-

stantibus rogavit. Idem tamen insecuto tempore a noxiorum iniuriis tutus et cum nullius praeter famam rei esset cupidus satis beatus videtur vixisse nec nisi provecta aetate obisse. Nomen in antiquitate ac per proxima saecula haud ita magnum, auctius longe recenti tempore optinuit. Aequalium eius ut libertini ingenio obtrectantium invidiam plurimum carpi constat ab ipso. Ceterum de vita et casibus eius cum alibi nihil sit traditum antiquitus, quicquid innotuit ipsius docemur carminibus.

Scripsit autem Aesopum secutus fabularum libros quinque, e quibus tamen sat multas intercidisse apparet non modo Perotti copiis qui medio saeculo quinto decimo usus membrana locupletiore XXXI poemata servavit quae non reperiuntur in codicibus Pithoeano et Remensi sed et Romuli et anonymi cuiusdam (Nilantianum vulgo nuncupant) exemplis qui apologos Phaedri plerosque in pedestrem resolvere sermonem. Et e primo libello quaedam perisse ipsius poetae testimonio adstruitur, quippe qui narret in eo etiam arbores esse collocutas, cuius nunc quidem rei nec vola nec vestigium extat. Praeterea secundum volumen et quintum plurimum labis traxisse ipsa paucitate fabellarum indicatur. Opuscula Perotti curis servata quod quidam negaverunt esse Phaedri, mihi quidem non ovum ovo similius videtur quam illa reliquis de quibus non dubitatur, sive rationes carminum spectaris, sive dictionum metrorumque proprietates. Puto autem Perottum usum apographo mutilato codicis archetypi librorum Remensis ac Pithoeani, tum confecto cum esset integer ille. Vnde facile explicatur quod traiectis temere verbis, vitio satis singulari, saepe et in Italico et in Gallicis libris turbatum. Sed de hac re dicam alibi. Ceterum eorum quae aetatem tulere exemplarium fata qui pluribus volet cognoscere, inveniet apud Orellium in editione Phaedri Turici vulgata a. 1831 et repetita proximo anno cum appendice.

In deligendis adornandisque fabulis, quas partim ex

Aesopo vel aliunde transtulit auctor partim novavit ipse, aliquando iudicium desideres, nec vero proprietatem logi Aesopii satis recte aut perspexisse aut perspectam optinuisse videtur idem. Est tamen ubi carmina eius omni elegantia floreant. Genere dicendi utitur ut plurimum facili et urbano, aliquando sane parum subacto nec satis laeto aut vivido. Id vitium maxime declarant abstracta posita pro concretis qualia habes versibus his 'tum demum ingemuit corvi deceptus stupor' 'sic totam praedam sola inprobitas abstulit' aliis. Idem quod haud ita raro graeca vocabula adhibuit, fabularum per humum repentium (ut Horatii verbis utar) proprietate et communis vitae usu satis excusatur. Valde excellit metri peritia, ut tamen versus eius cura potissimum et labore, non perinde nativo quodem lepore (quem sentias magis quam describas) praestare existimem. Sed de his proximo capite disseremus.

II. Nam cum Teubnerus, bibliopola honestissimus, me rogasset ut Phaedri Fabulas a Dresslero editas denuo recognoscerem, equidem maxime in eo diligentiam positam volui ut metrica ars poetae qualis esset tandem aliquando plene appareret. Itaque primum omnium promythia carminum a Perotto servatorum in metrum contorta a nonnullis pedestri orationi restitui, nec non fabulas de Romulo vel aliunde adscitas et Gudii Burmanni Dressleri opera versibus exaratas foedissimis et ab arte Phaedri alienissimis eieci omnes, cum praesertim ne hoc quidem esset apertum, ex huius libris integris an aliunde ductae essent pleraeque. Ipse enim ne temptarem in melius illas refingere prohibitus sum primum eo quod vel sine illis satis superque poematum suppetere constabat usui scholarum, deinde quod in tanta Romuli et anonymi Nilantiani barbarie aut nova meo periculo conponenda esse videbam carmina aut illam metrorum dictionumque vitiositatem retinendam cui priores indulserant. Itaque operam vanam nec aut Phaedro aut ipsius studiosis profuturam cito damnavit animus. Ceterum eo maiore cura cavi, ut in sinceris fabulis hoc est

in eis quae codicibus Pithoeano Remensique et Perottino servantur leges metricae ab auctore summa cum sollertia observatae plene optinerent, quas ilico iam proponemus.

Breviarium
metricae artis Phaedri
[ex libri de re metrica opusculo primo].

Phaedrus ut inpuros trimetros, non eos qui tragicorum Augusto aequalium Catullique ac Bibaculi et Horatii usu increbuerant, operi adhiberet, comicorum veterum adductus esse potest videri exemplo. Hi enim — grammaticorum Latinorum placitis si credis — ut quae loquuntur sumpta de vita putes vitiant iambum tractibus spondiacis. Plerumque tamen dubito an Syri potius sententiarum quae tum maxime in ore erant hominum, auctoritate inpulsum eundem putem, ut simile genus metri in materia haud ita diversa adhiberet. Sed utcumque res habet, magna certe cum cura expolitis utitur iambis idem et qui a Plauti et Terentii placitis plurimum differant. Nam et hoc acriter vitavit, ne versus nimium gravarentur onere spondeorum, quos iambis aliisque pedibus frequentatis prudenter temperavit, et insignem circa solvendas arsis vel thesis nec minus circa elisiones et synizeses adhibuit diligentiam.

Itaque per omnes partes metri excepta ultima spondeis et iambis promiscuus usus adest, ea tamen lege ut quinto pede potior sit spondeus. Tamen et ibi admittitur iambus si terminetur versus vocabulo plus quam trisyllabo velut ita

ranae vagantes liberis paludibus.

In hanc etiam licentiam concessere versus, in quibus amphibrachus vel creticus cum monosyllabo insequente vel praecedente coalescunt in unum:

odi, inquit, illum quia malis amicus est.
trepide concursans occupata in otio.

Recte etiam in fine copulatur trochaeus cum cretico:

canis parturiens cum rogasset alteram.

Sed minime licet quintum pedem contineri verbo in *iam-*

bum exeunte, cuius vitii plurima exempla Phaedro intulere docti.

Anapaestum ubique pro spondeo poni fas est, qua tamen praeter primum et quintum locum non ita saepe utitur scriptor venia, nec vero umquam ab eodem bini continuantur pedes eiusmodi. Dactylo in prima potissimum tertiaque et quarta sede locus est. Proceleusmaticus tantum initio senarii adhibetur. Praeterea notandum arsis solvendae morem etsi satis frequentem, tamen plurimum in vocabulis plus quam disyllabis inveniri. Ex eis excipiuntur *tribrachorum* vel in tribrachum exeuntium *partes paenultima et ultima,* in quam solutam arsin cadere nefas. Est ubi in disyllabis admittatur eadem; rarius multo evenit ut monosyllabo sequente plus quam monosyllabo contineatur arsis, ut puta sic

calumniator ab ove cum peteret canis.
et rapiet ad se quod erit commune omnium.

Praeterea notabilis sed legitima venia tutus appendicis versus [10, 10] hic:

non ut labores facio, *sed ut* istum domes;
nisi potius scribemus 'sed uti stum'.

Quinti pedis arsin non licet solvi nisi vocabulo plus quam trisyllabo claudente metrum, a qua norma vix sunt diversa haec [V, 7, 22. app. 9, 6]

quidam in conspectum proditurum sine mora.
respondit illa: quicquid dederis satis erit.

Arsin diduci *sequente anapaesto* vel *tribracho* non permittitur. Anapaesti thesin vocabulo *minus quam trisyllabo* contineri non licet praeter primum pedem et aliquando quintum [III, 10, 4. 14, 11. app. 19, 3. 30, 10].

Praeterea observatur ne umquam pes secundus vel tertius sive quartus contineatur vocabulo in spondeum, anapaestum, dactylum exeunte. Nulli igitur versus sunt ut puta tales:

recu*savit,* quod clausae erant stomachi viae.
et protinus au*xilium* petens anser simul.
cibo impleretur ser*vitium* negaverant.

Exemptus est huic legi versus antiquissimi poetae Enni qui legitur in epilogo l. III [34].

Caesura longe frequentissima est penthemimeres velut ita:

Aesopus auctor | quam materiam reperit.

Quae si non adest, hephthemimeres adhibetur cum incisione post secundum pedem:

quod arbores | loquantur | non tantum ferae.

Haec potest neglegi si bini post secundam thesin trochaei uno contineantur vocabulo:

cum tristem servitutem flerent Attici.

Restant duo versus qui caesuram habent post praepositionem verbi compositi [III, 15, 6. V, 7, 19]

novissime | prolapsam ef|fundit sarcinam.
ipso ludorum os|tenderet sese die.

Synizesis licentia permodica apud Phaedrum nec alia quam optimorum ex aequalibus. Ad elisionis, quam magna cum cura adhibuit idem, exempla minuenda primum diligenter est observandum *ubique apud eum* sicut apud reliquos poetas Latinos *verbi auxiliaris 'est' truncari vocali vel m consona praecedente primam litteram:*

haec propter illos scriptast homines fabula.
a corcodilis ne rapiantur traditumst.

Exceptus est appendicis c. XV v. 12, in quo propter caesuram copula non mutilatur. *Praeterea non licet elidi iambica sequente brevi nec magis copulari eadem cum acuta* praeter inperativos quosdam ut puta hos [III, 7, 15. V, 9, 4. app. 21, 10] veni ergo, tace inquit, ave usque. Denique in prima thesi aliquando elisiones inveniri sat constat, at *easdem in ultima arsi numquam.* Ceterum plura de iungendis vocalibus Phaedri placita qui volet cognoscere, legat quae in libro nostro pg. 427 reperiuntur.

Hiatus aut productiones brevium a Phaedro esse aliena sat constat, excepto quod ille dactylicos secutus saepe porrexit in mediis verbis correptas ante mutam cum liquida. Contra notanda 'ibi stans' 'ego scalpam' [III, 3, 14. app. 9, 12] breviata secunda.

Restat ut quaedam memoria non indigna hoc loco in conspectum adducamus. Fuere autem haec potissimum:

antehac III, 1, 6 pronuntiandum 'anthac'.
benficium pro beneficio I, 22, 8. III epil. 18.
corcodilus pro crocodilo I, 25, 4. 6.
dein semper monosyllabum.
deinde semper disyllabum.
ditis pro divitis app. 14, 6.
diŭtius I, 2, 16. ita semper omnes poetae.
-ērunt perfecti saepe corripit Phaedrus.
famē semper, non famĕ.
fortuĭtus II, 4, 4, cf. d. r. m. 258.
hercle non hercule I, 1, 12.
iacio in compositis sequente i amittit primam litteram, ita tamen ut non corripiatur apud Phaedrum syllaba praecedens.
-ius genetivus.
illīus III prol. 38. illĭus I, 14, 8; eadem passim in similibus deprehenditur differentia.
-ius vel ium substantivorum modo abicit alteram i in genetivo modo retinet.
lātrare cf. not. Bentl. ad V, 10, 7 et d. r. m. 315.
līquidus I, 26, 4 cf. d. r. m. 314.
lĭquor I, 1, 8.
lōcusta app. 30, 7, cf. d. r. m. 353.
mehercule sive mehercules semper trisyllabum, pronuntiandum mērcule et mērcules.
mi pro mihi III, 18, 9 al.
mihi, tibi, sibi, ibi, ubi modo producunt finalem modo corripiunt.
miluus semper trisyllabum.
nescio quis III, 9, 5 al. uno vocabulo efferendum; explet autem paeonem primum.
nil pro nihil III, 10, 51 al.
nŏta I, 3, 11 al.
nŏto III prol. 49.
nōtesco V, 7, 35.

quoniam semper trisyllabum.
rēcĭdo III, 18, 15.
relicuus, reliquiae, religio semper corripiunt primam.
reperi, repuli, retudi, retuli semper producunt geminata plerumque consona insequente.
semanimus pro semianimo I, 9, 8.
suesco. ab hoc verbo quae descendunt, apud Phaedrum modo vocali utuntur u modo consona.
suspītio III prol. 45; ib. 10, 36.
vidĕ III, 6, 3 app. 10, 14.

III. Superest ut conspectum diversarum a Dressleri editione lectionum addamus. E quibus quae nostris curis traxere originem addita nominis nota significantur. Ceterum propediem pleraque eorum, quae novavimus ipsi, in Museo Rhenano tractabimus.

I. prol. 4 prudenti — prudentis. 2, 12 hercle tuus ibi (hoc est 'tum') — hercule tuus. 3, 7 se inmiscuit — immiscuit se. 4, 4 ab altero ferri — ab alio ferrier. ib. 7 potuit adeo — potuit dente. 5 inscr. om. prius et. 8, 11 quae e — quae. 12, 4 asserit L. M., Siebelis — testis erit. 13, 2 sera dat poenas turpes — sero d. p. turpi. ib. 13, 14 cf. Orell. ed. 14, 8 antidoto miscere illius — illius miscere antidoto. 16, 2 malum augere L. M. — mala vitare. ib. expetit — expedit. 19, 5 dein — deinde. 21, 14 cogor, certe — morte cogor. 22, 8 benficium L. M. — beneficium. ib. 12 inprudentius L. M. — imprudentibus. 25, 7 omisi. ib. 8 noli vereri — ait v. 27 1. 2 seclusi. ib. 11 trivio concepte et educate stercore L. M. — tr. conceptus et educatus st. 28, 10 hostis — hosti.

II. 5, 16 come officium iactitans — iactans officio comam. ib. 20 is — id. 7 inscr. raptores — vectores. 8, 11 nil ideo — nec i. epil. 12 ad aures cultas pervenit L. M. — pervenit ad aures tuas. ib. 17 seclusi. ib. 18 vitium — exitium. nempe vitium fato inditum eis 'quos sinistra natura in lucem extulit'.

III. prooem. 5 officiis meis — officii mei. 38 ego porro illius — illius porro ego. 1, 2 e testa — et t.

6, 9 nam et ubi tricandum et ubi currendum sit scio — ubi sit tardandum et ultro currendum scio. 7, 25 age, abire siquo est animus L. M. — age si quo abire e. a. 10, 49 rimasset — limasset. ib. 51 animus L. M. — auris. 11, 3 roboris — corporis. 13, 1 fecerant quercu — quercu fecerant. ib. 13 tali ius tulit sententia L. M. — talem protulit sententiam. 15, 1 palanti — balanti. 18, 3 avibus — auribus. 19, 5 circum eunti — circueunti. epil. 2 esse videar ne tibi — pr. e. n. t. v. ib. 18 benficio L. M. — beneficio.

IV. prol. 4 talis etiam tituli est appetens — t. est e. t. a. ib. 5 quo non pacto indagabit L. M. — quo pacto demonstrabit. ib. 12 quia paucas ille ostendit, ego plures fero — p. o. i., e. plures dissero. 2, 1 ioculare tibi videtur — iocülari tibi videmur. ib. 15 alter similiter, deinde perit et tertius — a. s. periit, deinde et tertius. 4, 5 redît — rediit. 5, 38 villamque — vites. 6, 2 quorum et — cuius. 7, 10 ponti cf. d. r. m. 378 — Ponti. 8, 4 cibo — cibi. 11, 3 qui sacrilegio onustus — onustus qui sacrilegio. 17 totam aeque — totam quia. 18, 5 maxime L. M. — maximam. ib. 19 a., sed multo, replent — a. sedulo r. ib. v. 35. 36 seclusi antiqua lectione reducta. 20, 3 intimam — ult. 22, 4 circum ire — circuire. ib. 8 ut aiunt natus — natus ut aiunt. ib. Cia — Cea 24 init. cf. ed. Or. ib. 11—17 ita ordinavi 11. 15. 12. 17. 16. 13. 14. et v. 17 iam a Bentleio quo oportebat loco constitutus. ib. 12 quom L. M. — quo. 25, 9 pignera L. M. — sidera. ib. 14 censeas — sentiant. ib. 18 dissimulans L. M. — dimissam.

V, 1, 15 in conspectum meum — in conspectu meo. 3, 11 venia donari — veniam ei dari. ib. 13 quavis — quamvis. 4 inscr. asinus et porcellus — asini et porcelli. 5 inscr. scurra et rusticus — scurra rusticus. ib. 26 et derisuri non spectaturi sedent — et derisurus non spectaturus silet. 6 inscr. add. aeque. 7, 13. 14 id l. g. desiderare L. M. — et l. g., desiderari. 17. 18 ut incipiebat ingredi Princeps, eum adducit pretio — et i. P. a duce ingredi. Reductum pressit. 8, 2 nudo occipitio L. M. —

nudo corpore. 9, 3 flecteret — plecteret. 10, 7 senex contra Lacon — latrans contra senex. ib. 9 lauda, si — laudasti.

App. 1, 5 tibi quam partem quamvis parvam inpertiar L. M. — q. p. q. p. i. t. 2, 10 magno haec consilio qui negavit hominibus L. M. — h. q. n. m. c. homini. 3, 17 aliam — alium. 6, 6 Pytho L. M. — Pythia. 7, 4 visus sum L. M. — sum visus. ib. 5 ingeni L. M. — ingenii. 8, 17 primi quin mussant L. M. — pr. mussitant. 9, 2 causam non sprevit L. M. — causa hanc reppulit. ib. 12 mi L. M. — mihi. 10, 12 detines L. M. — retines. 11, 2 vidisset Phryx sophus — esse vidisset sophus. ib. 9 superasse melior qui fuisset viribus — s. talem m. q. esset v. 12, 13 sed add. L. M. 13, 1 post? — per. ib. 5 mulieris L. M. — virginis. ib. 17 et aegram et L. M. — aegram sed. ib. 18. 19 correptus L. M. inpotentis L. M. — corruptus. impudentis. 14, 6 ditis splendida L. M. — splendida divitis. 15, 7 videor tibi per me L. M. — p. m. v. t. ib. 8 ni L. M. — nisi. ib. 12 quam non apparere est ut dictum mulieri L. M. — eam n. a. u. d. e. m. ib. 13 omnes furore plena vocat L. M. — f. p. v. o. ib. 15 aliis minare, me certe haud falles, ait L. M. — aliis minare, inquit, me non falles hera. 16, 2 gloriosum L. M. — gloriose. post v. 5 lacunam indicavi. ib. 6 saeva societas — societas fera. 17, 8 partus dolore fata conplesset sua L. M. — pari d. f. deflesset s. 20, 4 cancri simul ut haeserunt L. M. — s. h. canceres. 21, 12 sic — male. 26 inscr. 1. 7. lepus — lupus. ib. 1 celeripes — celeri pede. ib. 5 at — et. 28, 9 reovcat L. M. — vocat. 29, 6 en cuncta! L. M. — om. interp. ib. 9 at — et. 30, 11 in c. n. s., sed sub dio, par tibi L. M. — i. c. n. s. p. t. sed sum s. d.

Scr. Bonnae

Cal. Iun. A. MDCCCLXVII. L. M.

PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM AESOPIARVM

LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

Aesopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari siquis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

FABVLA I.
LVPVS ET AGNVS.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
Siti conpulsi; superior stabat lupus
Longeque inferior agnus. Tunc fauce inproba
Latro incitatus iurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possum, quaeso, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit agnus: Equidem natus non eram.

Pater hercle tuus ibi, inquit, male dixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FABVLA II.

RANAE REGEM PETIERVNT.

Athenae cum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
(Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omne insuëtis onus) et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam rettulit.
Ranae vagantes liberis paludibus
Clamore magno regem petiere a Iove,
Qui dissolutos mores vi conpesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadi
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput
Et explorato rege cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatant
Lignumque supra turba petulans insilit.
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iovem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes, vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
Adflictis ut succurrat. Tunc contra deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. — Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, maius ne veniat malum.

FABVLA III.

GRACVLVS SVPERBVS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani graculus superbia,
Pennas pavoni quae deciderant sustulit
Seque exornavit. Deinde contemnens suos
Se inmiscuit pavónum formoso gregi.
Illi inpudenti pennas eripiunt avi
Fugantque rostris. Male mulcatus graculus
Redire maerens coepit ad proprium genus;
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus
Et quod natura dederat voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABVLA IV.

CANIS PER FLVVIVM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
Aliamque praedam ab altero ferri putans
Eripere voluit: verum decepta aviditas
Et quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec quem petebat potuit adeo adtingere.

FABVLA V.

VACCA, CAPELLA, OVIS ET LEO.

Numquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et capella et patiens ovis iniuriae
Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis leo:
Ego primam tollo, nominor quoniam leo;

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo adficietur, siquis quartam tetigerit.
Sic totam praedam sola inprobitas abstulit.

FABVLA VI.

RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus et continuo narrare incipit:
Vxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem ranae sustulere ad sidera.
Convitio permotus quaerit Iuppiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus
Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FABVLA VII.

VVLPES AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam forte vulpes viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

FABVLA VIII.

LVPVS ET GRVIS.

Qui pretium meriti ab inprobis desiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adiuvat;
Inpune abire deinde quia iam non potest.
Os devoratum fauce cum haereret lupi,
Magno dolore victus coepit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iure iurando gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam lupo.
A quo cum pactum flagitaret praemium:
Ingrata es, inquit, ore quae e nostro caput
Incolume abstuleris et mercedem postules.

FABVLA IX.

PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR.

Sibi non cavere et aliis consilium dare
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab aquila et fletus edentem graves
Leporem obiurgabat passer: Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semanimus: Mortis en solacium!
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

FABVLA X.

LVPVS ET VVLPES IVDICE SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine;
Negabat illa se esse culpae proximam.
Tunc iudex inter illos sedit simius.
Uterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur simius sententiam:
Tu non videris perdidisse quod petis;
Te credo subripuisse quod pulchre negas.

FABVLA XI.

ASINVS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers verbis iactans gloriam
Ignotos fallit, notis est derisui.
Venari asello comite cum vellet leo,
Contexit illum frutice et admonuit simul,
Ut insüeta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hîc auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus
Novoque turbat bestias miraculo.

Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo inpetu.
Qui postquam caede fessus est, asinum evocat
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

FABVLA XII.
CERVVS AD FONTEM.

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri haec asserit narratio.
Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis inpeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intellego,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

FABVLA XIII.
VVLPES ET CORVVS.

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
Sera dat poenas turpes poenitentia.
Cum de fenestra corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter

Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
[Hac re probatur quantum ingenium valet;
Virtute semper praevalet sapientia.]

FABVLA XIV.

EX SVTORE MEDICVS.

Malus cum sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere coepisset loco
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisivit sibi famam strophis.
Hîc cum iaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, eius experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Ebibere iussit ipsum posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata contione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FABVLA XV.

ASINVS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando saepius
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex.
Is hostium clamore subito territus
Suadebat asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas inpositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam? clitellas dum portem meas.

FABVLA XVI.

OVIS, CERVVS ET LVPVS.

Fraudator homines cum advocat sponsum inprobos,
Non rem expedire, sed malum augere expetit.
Ovem rogabat cervus modium tritici
Lupo sponsore. At illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsuevit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci inpetu;
Vbi vos requiram, cum dies advenerit?

FABVLA XVII.

OVIS, CANIS ET LVPVS.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab ove cum peteret canis,
Quem commodasse panem se contenderet,
Lupus citatus testis non unum modo
Deberi dixit, verum adfirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio
Quod non debebat solvit. Post paucos dies
Bidens iacentem in fovea conspexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

FABVLA XVIII.

MVLIER PARTVRIENS.

Nemo libenter recolit qui laesit locum.
Instante partu mulier actis mensibus
Humo iacebat flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

FABVLA XIX.

CANIS PARTVRIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas ut vitemus versus subiecti monent.
Canis parturiens cum rogasset alteram,
Vt fetum in eius tugurio deponeret,

Facile inpetravit: dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FABVLA XX.

CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt canes.
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam quod petierant contingerent.

FABVLA XXI.

LEO SENEX, APER, TAVRVS ET ASINVS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam iocus est in casu gravi.
Defectus annis et desertus viribus
Leo cum iaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus
Et vindicavit ictu veterem iniuriam.
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Inpune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

FABVLA XXII.

MVSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa cum instantem necem
Effugere vellet: Quaeso, parce, inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset et dedissem veniam supplici

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum benficium mihi.
Atque ita locutus inprobam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi
Et meritum inane iactant inprudentius.

FABVLA XXIII.

CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis inritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem misisset cani,
Obiecto temptans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini? Multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FABVLA XXIV.

RANA RVPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem
Et tacta invidia tantae magnitudinis
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Maiore nisu et simili quaesivit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt bovem.
Novissime indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

FABVLA XXV.

CANES ET CORCODILI.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditum est.

Igitur cum currens bibere coepisset canis,
Sic corcodilus: Quamlibet lambe otio;
Noli vereri. At ille: Facerem mehercules,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

FABVLA XXVI.

VVLPES ET CICONIA.

Nulli nocendum: siquis vero laeserit,
Multandum simili iure fabella admonet.
Vulpes ad cenam dicitur ciconiam
Prior invitasse et illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit ciconia.
Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa et torquet convivam fame.
Quae cum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

FABVLA XXVII.

CANIS ET THESAVRVS ET VVLTVRIVS.

[Haec res avaris esse conveniens potest
Et qui humiles nati dici locupletes student.]
Humana effodiens ossa thesaurum canis
Invenit et violarat quia Manes deos,
Iniecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae Religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumptus; quem stans vulturius super
Fertur locutus: O canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio concepte et educate stercore.

FABVLA XXVIII.

VVLPES ET AQVILA.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet sollertiae.

Vulpinos catulos aquila quondam sustulit
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum inportaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hostis dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet suos
Incolumes natos supplex vulpi tradidit.

FABVLA XXIX.

ASINVS INRIDENS APRVM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia
Et sibi nocivum concitant periculum.
Asellus apro cum fuisset obvius:
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium et quaerit, cur sic mentiri velit.
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper, cum vellet facere generosum inpetum,
Repressit iram et: Facilis vindicta est mihi,
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

FABVLA XXX.

RANAE METVENTES TAVRORVM PROELIA.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana in palude pugnam taurorum intuens:
Heu quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum illi certarent gregis
Longeque ab ipsis degerent vitam boves:
Est statio separata ac diversum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula
Et proculcatas obteret duro pede.
Ita caput ad nostrum furor illorum pertinet.

FABVLA XXXI.

MILVVS ET COLVMBAE.

Qui se committit homini tutandum inprobo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbae saepe cum fugissent miluum
Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
Illae credentes tradunt sese miluo;
Qui regnum adeptus coepit vesci singulas
Et exercere inperium saevis unguibus.
Tunc de relicuis una: Merito plectimur.

LIBER SECVNDVS.

AVCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus;
Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium
Acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrandi iocus,
Dum capiat aurem et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis;
Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum sensus ut delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim,
Ita, si rependet illam brevitas gratiam.
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas,
Modestis etiam offerre, quod non petierint.

FABVLA I.

IVVENCVS, LEO ET PRAEDATOR.

Super iuvencum stabat deiectum leo.
Praedator intervenit partem postulans.
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et inprobum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum
Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait;
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verum est aviditas dives et pauper pudor.

FABVLA II.

ANVS DILIGENS IVVENEM, ITEM PVELLA.

A feminis utcumque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
Aetatis mediae quendam mulier non rudis
Tenebat annos celans elegantia,
Animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Qui se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est; nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

FABVLA III.

AESOPVS AD QVENDAM DE SVCCESSV INPROBORVM.

Laceratus quidam morsu vehementis canis
Tinctum cruore panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cum scierint esse tale culpae praemium.
Successus inproborum plures adlicit.

FABVLA IV.

AQVILA, FELES ET APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat;
Feles cavernam nancta in media pepererat;
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi;
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus
Derepit ad cubile setosae suis:
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui;
Nam, simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam conplevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo.
Inde evagata noctu suspenso pede,
Vbi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet;
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? Inedia sunt consumpti cum suis
Felisque catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

FABVLA V.

[ITEM] CAESAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operae adtendere.
Caesar Tiberius cum petens Neapolim

In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculum et respicit Tuscum mare:
Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab umeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium iactitans;
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar remque intellegit.
Is ut putavit esse nescio quid boni:
Heus! inquit dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic iocata est tanta maiestas ducis:
Non multum egisti et opera nequiquam perit;
Multo maioris alapae mecum veneunt.

FABVLA VI.

AQVILA ET CORNIX.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit testudinem.
Quae cum abdidisset cornea corpus domo
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras cornix et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequiquam te lassabit pondere.
Promissa parte suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua conminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis aquila, monitis paruit,
Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Inpar duabus occidit tristi nece.

FABVLA VII.
MVLI DVO ET RAPTORES.

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Vnus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere dives celsa cervice eminet
Clarumque collo iactat tintinnabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant
Interque caedem ferro mulum sauciant,
Diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos:
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo,
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

FABVLA VIII.
CERVVS AD BOVES.

Cervus nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,
Caeco timore proximam villam petit
Et opportuno se bovili condidit.
Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite;
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nil ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit: transit etiam vilicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,

Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a cena redit
Et, quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est,
Stramenta desunt? Tollere haec aranea
Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur cornua;
Quem convocata iubet occidi familia
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

AVCTOR.

Aesopi ingenio statuam posuere Attici
Servumque collocarunt aeterna in basi,
Patere honoris scirent ut cunctis viam
Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui; quod superfuit:
Nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures cultas pervenit
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit
[Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,]
Fatale vitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

LIBER TERTIVS.

PHAEDRVS AD EVTYCHVM.

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis.
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias,
Impendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adsuëtam fortius praestes vicem?
Mutandum tibi propositum est et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
Fecunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipsa paene natus sim schola
Curamque habendi penitus corde eraserim
Et laude invicta vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon,
Ad regem cum Dardaniae perductus foret,
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,

Adfectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius semita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspitione siquis errabit sua
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilo minus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
  Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threissa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit et domuit feras
Hebrique tenuit inpetus dulci mora.
Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
  Induxi te ad legendum; sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

FABVLA I.

ANVS AD AMPHORAM.

  Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece e testa nobili
Odorem quae iocundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?
  Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

FABVLA II.
PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera inprudens olim in foveam decidit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans saevit irato inpetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini qui me saxo petierit,
Qui panem dederit: vos timere absistite;
Illis revertor hostis, qui me laeserunt.

FABVLA III.
AESOPVS ET RVSTICVS.

Vsu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur, causa sed non dicitur,
Notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus
Ad consulendos currit maerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput
Et avertendum victima periculum.
Ille autem adfirmat coniugem esse adulteram
Et insitivos significari liberos,
Sed expiari posse maiore hostia.
Quid multa? Variis dissident sententiis
Hominisque curam cura maiore adgravant.

Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

FABVLA IV.

LANIVS ET SIMIVS.

Pendere ad lanium quidam vidit simium,
Inter relicuas merces atque opsonia;
Quaesivit, quidnam saperet? Tum lanius iocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo;
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FABVLA V.

AESOPVS ET PETVLANS.

Successus ad perniciem multos devocat.
Aesopo quidam petulans lapidem inpegerat.
Tanto, inquit, melior! Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed, unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens: huic similiter
Impinge lapidem et dignum accipies praemium.
Persuasus ille fecit, quod monitus fuit;
Sed spes fefellit inpudentem audaciam:
Conprensus namque poenas persolvit cruce.

FABVLA VI.

MVSCA ET MVLA.

Musca in temone sedit et mulam increpans:
Quam tarda es! inquit, non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum conpungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Iugum flagello temperat lento meum
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam;

Nam et ubi tricandum et ubi currendum sit scio.
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FABVLA VII.
LVPVS AD CANEM.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occucurrit. Dein salutatum invicem
Vt restiterunt: Vnde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est condicio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque in silvis asperam vitam trahens:
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum cani.
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam et vigilem, nox cum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.
Adfertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta iactant familia
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
Sic sine labore venter inpletur meus.
Age, abire siquo est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, canis:
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

FABVLA VIII.
SOROR ET FRATER.

Praecepto monitus saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam

Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi, speculum in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes forte inspexerunt.
Hic se formosum iactat: illa irascitur
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens quippe cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit laesura invicem
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque et carpens oscula
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FABVLA IX.

SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis,)
Ex populo sic nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis inpleam!

FABVLA X.

POËTA.

Periculosum est credere et non credere.
Vtriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercae creditum est;
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum, prius
Quam stulta prave iudicet sententia.
Sed fabulosam ne vetustatem eleves,
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.
Maritus quidam cum diligeret coniugem
Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto est suo,

Sperante heredem suffici se proximum.
Qui cum de puero multa mentitus foret
Et plura de flagitiis castae mulieris,
Adiecit id, quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine
Simulavit iter ad villam clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito ianuam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,
Aetatem adultam servans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis inpetum non sustinens
Ad lectum accedit, temptat in tenebris caput.
Vt sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, simul adspexit filium
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat;
Repraesentavit in se poenam facinoris
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
Maligna insontem deprimit suspitio,
Quod bona possideat. Stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere iudices,
Vt adiuvaret iuris iurandi fidem,
Quod ipsos error inplicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae
Certumque fontem veritatis repperit:
Luat, inquit, poenas causa libertus mali;
Namque orbam nato simul et privatam viro
Miserandam potius quam damnandam existimo.
Quod si delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter rimasset, a radicibus

Non evertisset scelere funesto domum.
Nil spernat animus, nec tamen credat statim.
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, inpugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius nequid ponderent:
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Haec exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FABVLA XI.

EVNVCHVS AD INPROBVM.

Eunuchus litigabat cum quodam inprobo,
Qui super obscena dicta et petulans iurgium
Damnum insectatus est amissi roboris.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

FABVLA XII.

PVLLVS AD MARGARITAM.

In sterquilino pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam repperit.
Iaces indigno quanta res inquit, loco!
Hoc siquis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego quod te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse nec mihi quicquam potest.
Hoc illis narro, qui me non intellegunt.

FABVLA XIII.

APES ET FVCI VESPA IVDICE.

Apes in alta fecerant quercu favos:
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, vespa iudice.

Quae genus utrumque nosset cum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconveniens corpus et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio peccet inprudens mea,
Alvos accipite et ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis et forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: apibus condicio placet.
Tunc illa tali ius tulit sententia:
Apertum est quis non possit, et quis fecerit.
Quapropter apibus fructum restituo suum.
  Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

FABVLA XIV.

DE LVSV ET SEVERITATE.

  Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus cum vidisset, restitit
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus! inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu
Nec quaestionis positae causam intellegit.
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, cum voles erit utilis.
  Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FABVLA XV.

CANIS AD AGNVM.

  Inter capellas agno palanti canis:
Stulte, inquit, erras; non est hîc mater tua:
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae, cum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,

Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.
Vnde illa scivit, niger an albus nascerer?
Age porro; parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, quum crearer masculus?
Beneficium magnum sane natali dedit,
Vt exspectarem lanium in horas singulas!
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABVLA XVI.

CICADA ET NOCTVA.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppetit superbiae.
Cicada acerbum noctuae convitium
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est, ut taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rursus admota prece
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium et verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare citharam quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit; si non fastidis, veni;
Vna bibamus. Illa, quae arebat siti,
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua egressa e cavo
Trepidantem consectata est et leto dedit.
Sic viva quod negarat tribuit mortua.

FABVLA XVII.

ARBORES IN DEORVM TVTELA.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Iuppiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At, mehercules, narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus!
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere quod non prosit fabella admonet.

FABVLA XVIII.

PAVO AD IVNONEM DE VOCE SVA.

Pavo ad Iunonem venit indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit;
Illum esse cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor smaragdi collo praefulget tuo
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina,
Omnesque propriis sunt contentae dotibus.
Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

FABVLA XIX.

AESOPVS RESPONDET GARRVLO.

Aesopus domino solus cum esset familia,
Parare cenam iussus est maturius.

Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domus,
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circum eunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit.

POËTA.

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens;
Primum esse videar ne tibi molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein siquis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui:
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est cotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse benficio utilis
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro cum sit misericordia.
Saepe inpetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius.
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,

Et graviter me tutare iudicio tuo.
Excedit animus quem proposuit *terminum*,
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam,
„Palam mutire plebeio piaculum est,“
Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

LIBER QVARTVS.

POËTA AD PARTICVLONEM.

Cum destinassem terminum operi statuere
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam siquis talis etiam tituli est appetens,
Quo non pacto indagabit, quidnam omiserim,
Vt illud ipsum cupiat famae tradere,
Sua cuique cum sit animi cogitatio
Colorque proprius! Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
(Quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
Quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis;)
Quartum libellum, cum vacarit, perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea
Dignumque longa iudicatis memoria.
Inlitteratum plausum cur desidero?

FABVLA I.

ASINVS ET GALLI.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque

Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quaestus ducere
Asinum solebant baiulantem sarcinas.
Is cum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

FABVLA II.

POËTA.

Ioculare tibi videtur, et sane levi,
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nenias:
Quantam sub illis utilitatem reperies!
Non semper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intellegit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adiciam de mustela et muribus.
Mustela cum annis et senecta debilis
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farina et obscuro loco
Abiecit neglegenter. Mus escam putans
Adsiluit et conpressus occubuit neci.
Alter similiter, deinde perit et tertius.
Aliquot secutis venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces!

FABVLA III.

DE VVLPE ET VVA.

Fame coacta vulpes alta in vinea
Vvam adpetebat summis saliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est; nolo acerbam sumere.

Qui facere quae non possunt verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

FABVLA IV.
EQVVS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Redit ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Laetor tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi et didici, quam sis utilis;
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum maestus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, servitutem repperi.
Haec iracundos admonebit fabula:
Inpune potius laedi quam dedi alteri.

FABVLA V.
POËTA.

Plus esse in uno saepe quam in turba boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias:
Vnam formosam et oculis venantem viros;
At alteram lanificam et frugi, rusticam;
Devotam vino tertiam et turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub condicione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter distribuat, sed tali modo:
Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor inplet. Mater sedula
Iuris peritos consulit; nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.

Postquam consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, iure neglecto, parens.
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros;
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, iumenta et instrumentum rusticum;
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam et delicatos hortulos.
Sic destinata dare cum vellet singulis
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Aesopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta cum venustis hortulis
Et vina vetera date lanificae rusticae;
Vestem, uniones, pedisequos et cetera
Illi adsignate, vitam quae luxu trahit;
Agros, villamque et pecora cum pastoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Vt moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abiciet moecha, ut ornatum gerat;
At illa gaudens pecore et lanae dedita
Quacumque summa tradet luxuriae domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.
Ita quod multorum fugit inprudentiam,
Vnius hominis repperit sollertia.

FABVLA VI.

PVGNA MVRIVM ET MVSTELARVM.

Cum victi mures mustelarum exercitu
(Historia quorum et in tabernis pingitur)
Fugerent et artos circum trepidarent cavos,

Aegre recepti tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Haesere in portis suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcumque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili praesidio latet.

FABVLA VII.

PHAEDRVS.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae
Et in cothurnis prodit Aesopus novis.
Vtinam nec umquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipinni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quae ponti sinus
Patefecit in perniciem Graium et barbarum!
Namque et superbi luget Aeetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent,
Quae saevum ingenium variis involvens modis
Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hic caede patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Aegaea Minos classe perdomuit freta
Iustoque vindicavit exemplo inpetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato.
Si nec fabellae te iuvant nec fabulae!
Noli molestus esse omnino litteris,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant
Et, ut putentur sapere, caelum vituperant.

FABVLA VIII.

SERPENS AD FABRVM FERRARIVM.

Mordaciorem qui inprobo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit vipera.
Haec cum temptaret, siqua res esset cibo,
Limam momordit. Illa contra contumax:
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne adsuēvi ferrum quae conrodere?

FABVLA IX.

VVLPES ET CAPER.

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium quaerit alterius malo.
Cum decidisset vulpes in puteum inscia
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sitiens in eundem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice; tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Inmisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vadō.

FABVLA X.

DE VITIIS HOMINVM.

Peras inposuit Iuppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

FABVLA XI.

FVR ET LVCERNA.

Lucernam fur accendit ex ara Iovis
Ipsumque conpilavit ad lumen suum.
Qui sacrilegio onustus cum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera
Mihique invisa, ut non offendar subripi,
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim cum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma deum
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui repperit.
Significat primo saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios;
Secundo ostendit scelera non ira deum,
Fatorum dicto sed puniri tempore;
Novissime interdicit, ne cum malefico
Vsum bonus consociet ullius rei.

FABVLA XII.

MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes invisae merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Caelo receptus propter virtutem Hercules
Cum gratulantes persalutasset deos,
Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

FABVLA XIII.
DE LEONE REGNANTE.

Vtilius homini nihil est quam recte loqui:
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Cum se ferarum regem fecisset leo
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine
Atque inter illas tenui contentus cibo
Sancta incorrupta iura reddebat fide.
Postquam labare coepit poenitentia,

* * *

FABVLA XIV.
PROMETHEVS.

* * *

A fictione veretri linguam mulieris.
Adfinitatem traxit inde obscenitas.

FABVLA XV.
IDEM.

Rogavit alter, tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset? Exposuit senex:
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
(Qui simul offendit ad fortunam, frangitur)
Naturae partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cenam est invitatus subito a Libero.
Vbi inrigatus multo venas nectare
Sero domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde et errore ebrio
Adplicuit virginale generi masculo
Et masculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FABVLA XVI.
DE CAPRIS BARBATIS.

Barbam capellae cum inpetrassent ab Iove,
Hirci maerentes indignari coeperunt,
Quod dignitatem feminae aequassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sint virtute inpares.

FABVLA XVII.
DE FORTVNIS HOMINVM.

Cum de fortunis quidam quereretur suis,
Aesopus finxit consolandi gratia:
Vexata saevis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrimas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta coepit flatibus
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclis tum gubernator sophus:
'Parce gaudere oportet et sensim queri.' —
Totam aeque vitam miscet dolor et gaudium.

FABVLA XVIII.
CANVM LEGATI AD IOVEM.

Canes legatos olim misere ad Iovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Vt sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent
Fimoque turpi maxime explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius et turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt regiam;
Propulsi vero fustibus vadunt foras.

Vetat dimitti magnus illos Iuppiter.
Mirati sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent.
Mandata dant: legati mittuntur, statim
Abeunt. Rogantes aditum continuo inpetrant.
Consedit genitor tum deorum maximus
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iuppiter:
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile poenas culpae inponere;
Sed hoc feretis pro iudicio praemium:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Numquam carebunt hominis contumelia.
[Ita nunc legatos exspectantes posteri.
Novum venire qui videt, culum olfacit.]

FABVLA XIX.

SERPENS. MISERICORDIA NOCIVA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipse misericors;
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: Nequis discat prodesse inprobis.

FABVLA XX.

VVLPES ET DRACO.

Vulpes, cubile fodiens, dum terram eruit
Agitque plures altius cuniculos,

Pervenit ad draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul aspexit. Oro, ut inprudentiae
Des primum veniam; deinde si pulchre vides,
Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
Vt careas somno et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi
Iove adtributum est. Ergo nec sumis tibi
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, libere si dixero:
Dis est iratis natus, qui est similis tibi.
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,
Qui tristis audis musicum citharae sonum,
Quem tibiarum macerat iucunditas,
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt,
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio
Caelum fatigas sordido periurio,
Qui circumcidis omnem inpensam funeri,
Libitina nequid de tuo faciat lucri.

FABVLA XXI.

PHAEDRVS.

Quo iudicare cogitet livor modo,
Licet dissimulet, pulchre tamen intellego.
Quicquid putabit esse dignum memoria,
Aesopi dicet; si quid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

FABVLA XXII.

DE SIMONIDE.

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circum ire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio;
Erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula:
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant rogantes victum. Quos casu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perit.

FABVLA XXIII.

MONS PARTVRIENS.

Mons parturibat, gemitus inmanes ciens,
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

FABVLA XXIV.

FORMICA ET MVSCA.

[Nihil agere quod non prosit, fabella admonet.]
Formica et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi inmolatur, exta praegusto deum;
Moror inter aras, templa perlustro omnia.
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula.
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sane convictus deum,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, quom venis.
Reges conmemoras et matronarum oscula;
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo cum opus est, nil habes.
Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Aestate me lacessis; cum bruma est, siles.
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABVLA XXV.

POËTA.

Quantum valerent inter homines litterae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victori laudem cuidam pyctae ut scriberet,
Certo conductus pretio secretum petît.
Exigua cum frenaret materia inpetum,

Vsus poëtae more est et licentia
Atque interposuit gemina Ledae pignera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Cum relicuam posceret:
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae.
Verum, ut ne irate te dimissum censeas,
Ad cenam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis et dolens iniuria,
Ne male dissimulans gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium,
Magno adparatu laeta resonabat domus:
Repente duo cum iuvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratae rei,
Omnes scierunt numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

POËTA AD PARTICVLONEM.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatae suaves sunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quae conmendari tanto debet iustius,
Quanto poëtae sunt molesti validius.

LIBER QVINTVS.

IDEM POËTA.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento, tabulae Zeuxidem.
Adeo fucatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

FABVLA I.

DEMETRIVS REX ET MENANDER POËTA.

Quomodo saepe fallatur hominum iudicium.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit inperio inprobo.
Vt mos est vulgi, passim et certatim ruit
„Feliciter!“ succlamans. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi;
In quis Menander, nobilis comoediis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Vnguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectum meum
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim:
Homo, inquit, fieri non potest formosior.

FABVLA II.
VIATORES ET LATRO.

Duo cum incidissent in latronem milites,
Vnus profugit, alter autem restitit
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso timidus accurrit comes
Stringitque gladium, dein reiecta paenula:
Cedo, inquit, illum; iam curabo sentiat,
Quos attemptarit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adiuvisses modo;
Constantior fuissem vera existimans.
Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem,
Vt possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.
Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

FABVLA III.
CALVVS ET MVSCA.

Calvi momordit musca nudatum caput;
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa inridens: Punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Iniuriae qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio.
Sed te, contempti generis animal inprobum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel maiore incommodo.
Hoc argumentum venia donari docet,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens,
Illum esse quavis dignum poena iudico.

FABVLA IV.
ASINVS ET PORCELLVS.

Quidam inmolasset verrem cum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,

Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Libenter istum prorsus adpeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, iugulatus foret.
Huius respectu fabulae deterritus
Periculosum semper vitavi lucrum.
Sed dicis: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprensi perierunt.
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABVLA V.

SCVRRA ET RVSTICVS.

Pravo favore labi mortales solent
Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos quidam dives nobiles
Proposito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina;
Quos inter scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat.
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit
Sine adparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repente demisit caput
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent
Et excuti iuberent. Quo facto simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet

Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Vterque prodit. Scurra degrunnit prior
Movetque plausus et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat populus scurram multo similius
Imitatum, et cogit rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En hic declarat, quales sitis iudices!

FABVLA VI.

CALVVS ET QVIDAM AEQVE PILIS DEFECTVS.

Invenit calvus forte in trivio pectinem.
Accessit alter, aeque defectus pilis.
Heia! inquit, in commune quodcumque est lucri.
Ostendit ille praedam et adiecit simul:
Superum voluntas favit; sed fato invido
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querela convenit.

FABVLA VII.

PRINCEPS TIBICEN.

Vbi vanus animus aura captus frivola
Adripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.

Vt spectatorum mos est, id lepidum genus
Desiderare coepit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis.
Vt incipiebat ingredi Princeps, eum
Adducit pretio precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro. Quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso, devolutis tonitribus
Di sunt locuti more translaticio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
Insonuit, cuius haec fuit sententia:
„Laetare, incolumis Roma, salvo Principe!"
In plausus consurrectum est. Iactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intellegit
Magnoque risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit. Plaudit inludens eques.
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

FABVLA VIII.

TEMPVS.

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo occipitio,
(Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iuppiter reprehendere,)
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus inpediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

FABVLA IX.

TAVRVS ET VITVLVS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus
Cum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat vitulus quo se pacto flecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

FABVLA X.

CANIS ET SVS ET VENATOR.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis cum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis
Adripuit aurem: sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hic tunc venator dolens
Canem obiurgabat. Cui senex contra Lacon:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus, lauda, si iam damnas, quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

APPENDIX.

FABVLAE NOVAE.

FABVLA I.

SIMIVS ET VVLPES.

Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.

Vulpem rogabat partem caudae simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates;
Cui sic maligna: Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Tibi quam partem quamvis parvam inpertiar.

FABVLA II.

AVCTOR.

Non esse plus aequo petendum.

Arbitrio si natura finxisset meo
Genus mortale, longe foret instructius:
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quaecumque indulgens Fortuna animali dedit:
Elephanti vires, et leonis inpetum,
Cornicis aevum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,
Et adesset homini sua tamen sollertia.
Nimirum in caelo secum ridet Iuppiter,
Magno haec consilio qui negavit hominibus,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

FABVLA III.

MERCVRIVS ET DVAE MVLIERES.

De eodem alia fabella.

Mercurium hospitio mulieres olim duae
Inliberali et sordido receperant:
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus et iam limen excedens ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optarit. Mater suppliciter rogat,
Barbatum ut videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet.
Id forte meretrix cum rideret validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet.
Emungere igitur se volens prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et aliam ridens ipsa ridenda exstitit.

FABVLA IV.

PROMETHEVS ET DOLVS.

De veritate et mendacio.

Olim Prometheus seculi figulus novi
Cura subtili Veritatem fecerat,
Vt iura posset inter homines reddere.
Subito accersitus nuntio magni Iovis
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Vna statura, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope iam totum mire cum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister, quo festinanter Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo signa intulit;
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium adpellatum est; quod negantibus
Pedes habere facilis est consensio.
Simulata interdum vitia prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

FABVLA V.

AVCTOR.

Sensum aestimandum esse, non verba.

Ixion quod versari narratur rota,
Volubilem Fortunam iactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens
Saxum labore summo, quod de vertice,
Sudore semper irrito revolvitur,
Ostendit hominum sine fine esse miserias.

Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Vsus bonorum, sed nil possunt tangere.
Vrnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec conplere possunt dolia;
Immo, luxuriae quicquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per iugera,
Tristi renatum suggerens poenae iecur;
Quo quis maiorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviore adfici.
Consulto involvit veritatem antiquitas,
Vt sapiens intellegeret, erraret rudis.

FABVLA VI.
AVCTOR.

Vtilius nobis quid sit dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnasum incolis.
Quid est? sacratae vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri et ipse pallescit dies.
Voces resolvit icta Pytho numine:
Audite gentes Delii monitus dei:
Pietatem colite; vota superis reddite;
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite armis, hostem ferro pellite;
Amicos sublevate; miseris parcite;
Bonis favete, subdolis ite obviam;
Delicta vindicate; cohibete inpios;
Punite turpi thalamos qui violant stupro;
Malos cavete; nulli nimium credite.
Haec elocuta concidit virgo furens:
Furens profecto, nam quae dixit perdidit.

FABVLA VII.
AESOPVS ET SCRIPTOR.

Aesopo quidam scripta recitarat mala,
In quis inepte multum se iactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,

Numquid tibi, inquit, visus sum superbior?
Haud vana nobis ingeni fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine:
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo,
Namque hoc ab alio numquam continget tibi.

FABVLA VIII.

POMPEIVS MAGNVS ET EIVS MILES.

Quam difficile sit hominem nosse.

Magni Pompei miles vasti corporis
Fracte loquendo et ambulando molliter
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte iumentis ducis,
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur miles, rapitur in praetorium.
Tum Magnus: Quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram et sputum digitis dissipat.
Sic, imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli iubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
Breve tempus intercessit, et fidens manu
Vnum e Romanis provocabat barbarus.
Sibi quisque metuit; primi quin mussant duces.
Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali ducem,
Et voce molli: Licet? Enimvero eici
Virum ut in re atroci Magnus stomachans inperat.
Tum quidam senior ex amicis principis:
Hunc ego committi satius Fortunae arbitror,
In quo iactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Assensit Magnus et permisit militi
Prodire contra; qui mirante exercitu,
Dicto celerius hostis abscidit caput
Victorque rediit. His tunc Pompeius super:

Corona, miles, equidem te dono libens,
Quod vindicasti laudem Romani inperi;
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud imitans ius iurandum militis,
Nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas.

FABVLA IX.

IVNO, VENVS ET GALLINA.

Cum castitatem Iuno laudaret suam,
Iucunditatis causam non sprevit Venus,
Nullamque ut affirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic gallinam dicitur:
Dic sodes, quanto possis satiari cibo.
Respondit illa: Quicquid dederis, satis erit,
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane, immo nimium est, sed permitte scalpere.
Ex toto, nequid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassa est naturae malum:
Licet horreum mi pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Iuno dicitur Veneris ioco,
Quia per gallinam denotavit feminas.

FABVLA X.

PATERFAMILIAS ET AESOPVS.

Quomodo domanda sit ferox iuventus.

Paterfamilias saevum habebat filium.
Hic e conspectu cum patris recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis
Et exercebat fervidam adolescentiam.
Aesopus ergo narrat hoc breviter seni:
Quidam iuvenco vetulum adiungebat bovem.
Is cum refugiens inpari collo iugum
Aetatis excusaret vires languidas:
Non est quod timeas, inquit illi rusticus;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles.
Et tu nisi istum tecum assidue detines

Feroxque ingenium conprimis clementia,
Vide, ne querela maior accrescat domus.
Atrocitati mansuetudo est remedium.

FABVLA XI.

AESOPVS ET VICTOR GYMNICVS.

Quomodo conprimatur aliquando iactantia.

Victorem forte gymnici certaminis
Iactantiorem cum vidisset Phryx sophus,
Interrogavit, an plus adversarius
Valuisset eius? Ille: Ne istud dixeris;
Multo fuere vires maiores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse, melior qui fuisset viribus.

FABVLA XII.

ASINVS AD LYRAM.

Asinus iacentem vidit in prato lyram.
Accessit et temptavit chordas ungula;
Sonuere tactae. Bella res, sed mehercules
Male cessit, inquit, artis quia sum nescius.
Si repperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

FABVLA XIII.

MVLIER VIDVA ET MILES.

Quanta sit inconstantia et libido mulierum.

Per aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit;
A quo revelli nullo cum posset modo
Et in sepulcro vitam lugens degeret,
Claram assecuta est famam castae mulieris.
Interea fanum qui conpilarant Iovis,
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias nequis posset tollere,

Custodes dantur milites cadaverum
Monumentum iuxta, mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc adsistebat suae
Dormitum eunti; namque lucubraverat
Et usque in serum vigilias perduxerat.
Paulum reclusis foribus miles prospicit
Videtque et aegram et facie pulchra feminam.
Correptus animus ilico succenditur
Et uritur sensim inpotentis cupiditas.
Sollers acumen mille causas invenit,
Per quas videre posset viduam saepius.
Cotidiana capta consuetudine
Paulatim facta est advenae submissior;
Mox artiore vinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes custos diligens,
Desideratum est corpus ex una cruce.
Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta mulier: Non est quod timeas, ait,
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas neglegentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

FABVLA XIV.

DVO IVVENES SPONSI DIVES ET PAVPER.

Fortunam interdum praeter spem hominibus favere.

Vnam expetebant virginem iuvenes duo;
Vicit locuples genus et formam pauperis.
Vt nuptiarum dictus advenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Maerens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paulo villa ditis splendida
Erat acceptura virginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et coniugalem praebet Hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi

Quaestum deferre, stabat portae in limine.
Illum puellae casu conducunt suae,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente caelum, Veneris misericordia,
Ventis movetur, intonat mundi fragor
Noctemque densis horridam nimbis parat:
Lux rapitur oculis et simul vis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proximum tectum subit
Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur: deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos accubans
Amorem crebris avocabat poculis.
Vbi nuntiatum est, recreatus gaudiis
Hortante Baccho et Venere, dulces perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam;
Novus maritus coniuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem conprobarunt caelitum.

FABVLA XV.

AESOPVS ET DOMINA.

Quam noceat saepe verum dicere.

Aesopus turpi cum serviret feminae,
Quae se expingendo totum intricaret diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret,
Nec inveniret digito qui se tangeret:
Licetne paucis, inquit? Dicas. Censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeone videor tibi per me meliuscula?
Immo, ni dederis, sponda cessabit tua.
At non cessabunt latera, respondit, tua,
Et obiurgari iussit servum garrulum.
Post paullo armillam tollit fur argenteam.
Quam non apparere est ut dictum mulieri,

Omnes furore plena vocat et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint.
Aliis minare, me certe haud falles, ait,
Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.

FABVLA XVI.

GALLVS LECTICA A FELIBVS VECTVS.

Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere.

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriosum vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta: Moneo praecaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare iudices, non sarcinam.

* * *

Postquam esurire coepit saeva societas,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

FABVLA XVII.

SCROFA PARTVRIENS ET LVPVS.

Faciendum prius hominis periculum, quam eius te committas fidei.

Premente partu scrofa cum gemeret iacens,
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pectoris fraudem inprobi,
Suspectum officium repudiavit malefici
Et: Satis est, inquit, si recedes longius.
Quod si perfidiae se commisisset lupi,
Partus dolore fata conplesset sua.

FABVLA XVIII.

AESOPVS ET SERVVS PROFVGVS.

Non esse malo addendum malum.

Servus profugiens dominum naturae asperae,
Aesopo occurrit notus e vicinia.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater,
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tuto querela quia apud te deponitur.

Plagae supersunt, desunt mihi cibaria;
Subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si coenat, totis persto noctibus,
Sive est vocatus, iaceo ad lucem in semita.
Emerui libertatem, canus servio.
Ullius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem: numquam sum factus satur
Et super infelix saevum patior dominium.
Has propter causas et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi: cum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda:
Quid si peccaris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fuga deterritus.

FABVLA XIX.

EQVVS QVADRIGALIS IN PISTRINVM VENVMDATVS.

Ferendum esse aequo animo, quicquid acciderit.

Equum e quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum cum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Vt grata ludis redderent certamina.
Lacrimis obortis: Ite felices, ait,
Celebrate sine me cursu sollemnem diem;
Ego quo scelesta furis attraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

FABVLA XX.

VRSVS ESVRIENS.

Si quando in silvis urso desunt copiae,
Scopulosum ad littus currit et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado;
Quorum inter villos cancri simul ut haeserunt,
In terram arripiens excutit praedam maris
Escaque fruitur passim collecta vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

FABVLA XXI.

VIATOR ET CORVVS.

Verbis saepenumero homines decipi solere.

Quidam per agros devium carpens iter
Ave exaudivit et moratus paululum,
Adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Vt, quisquis esset, par officium reciperet.
Cum circumspectans errore haesisset diu
Et perdidisset tempus aliquot milium,
Ostendit sese corvus et supervolans
Ave usque ingessit. Tum se lusum intellegens:
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis sic detinuisti pedes.

FABVLA XXII.

PASTOR ET CAPELLA.

Nil occultum esse, quod non reveletur.

Pastor capellae cornu baculo fregerat:
Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

FABVLA XXIII.

SERPENS ET LACERTA.

Ubi leonis pellis deficit, vulpinam induendam esse, hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum.

Serpens lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patula cum vellet gula,
Arripuit illa prope iacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum sollerti rictum frenavit mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

FABVLA XXIV.

CORNIX ET OVIS.

Multos lacessere debiles et cedere fortibus.

Odiosa cornix super ovem consederat;
Quam dorso cum tulisset invita et diu:
Hoc, inquit, si dentato fecisses cani,
Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolosa blandiar;
Ideo senectam mille in annos prorogo.

FABVLA XXV.

SERVVS ET DOMINVS.

Nullum maledictum esse gravius conscientia.

Cum servus nequam Socrati malediceret,
Vxorem domini qui corrupisset sui,
Idque ille sciret notum circumstantibus:
Places tibi, inquit, quia cui non debes places;
Sed non inpune, quia cui debes non places.

FABVLA XXVI.

LEPVS ET BVBVLCVS.

Multos verbis blandos esse et pectore infideles.

Cum venatorem celeripes fugeret lepus
Et a bubulco visus veprem inreperet:
Per superos oro perque spes omnes tuas,
Ne me indices, bubulce; nihil umquam mali
Huic agro feci. At rusticus: Ne timueris;
Late securus. Iamque venator sequens:
Quaeso, bubulce, numquid huc venit lepus?
Venit, sed abiit hac ad laevam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.
Tunc sic bubulcus: Ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

FABVLA XXVII.

MERETRIX ET IVVENIS.

Multa esse iucunda quae tamen sunt incommoda.

Cum blandiretur iuveni meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe iniuriis
Tamen praeberet sese facilem mulieri,
Sic insidiatrix: Omnes muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Iuvenis recordans quotiens deceptus foret:
Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod iucunda est mihi.

FABVLA XXVIII.

FIBER.

Canes effugere cum iam non possit fiber,
(Graeci loquaces quem dixerunt castorem
Et indiderunt bestiae nomen dei,
Illi, qui iactant se verborum copia:)
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non negem;
Venator namque simul invenit remedium,
Omittit ipsum persequi et revocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

FABVLA XXIX.

PAPILIO ET VESPA.

Non praeteritam sed praesentem aspiciendam esse fortunam.

Papilio vespam praetervolitans viderat.
O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego eloquens in pace, fortis proeliis,

Arte omni princeps inter aequales fui.
En cuncta! levitas putris et volito cinis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est laedis infixo aculeo.
At vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.

FABVLA XXX.

TERRANEOLA ET VVLPES.

Pravis non esse fidem adhibendam.

Avis, quam dicunt terraneolam rustici,
In terra nidum quia conponit scilicet,
Forte occucurrit inprobae vulpeculae;
Qua visa, pennis altius se sustulit.
Salve, inquit illa, cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarabaei, locustarum copia:
Nihil est, quod metuas, ego te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.
Respondit contra: Tu quidem bene praedicas;
In campo non sum, sed sub dio, par tibi.
Quin sequere; tibi salutem committo meam.

EPILOGVS.

Hoc qualecumque est Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed haec simpliciter; illa tacite irascitur.

INDEX POEMATVM.

DRACONTII
CARMINA MINORA

PLURIMA INEDITA

EX CODICE NEAPOLITANO

EDIDIT

FRIDERICUS DE DUHN.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Draconti carmina adhuc inedita Neapoli latere nupera raptus Helenae editio Romana[1]) nos docuit, confirmavit catalogus regiae bibliothecae Neapolitanae, in quo de nostro Draconti codice iam anno huius saeculi vicesimo septimo plene relatum erat[2]). Atque Helenae raptus cum poetam indicaret doctum eoque qui carmina fecit christiana si non meliorem certe eruditiorem, porro ad literarum et sermonis Africani notitiam promovendam utilem neque indignum cuius carmina in lucem protraherentur, Neapolin profectus descripsi quae typis nunc vides expressa.

Codex est bibliothecae nationalis IV E 48 chartaceus in folio scriptus saeculo XV desinente vel XVI ineunte. Continet autem CXV paginis decem Draconti carmina et decimi apographum alterum, eodem quo nos excudi iussimus ordine perscripta. Titulis subscriptionibus numeris alia manus atramento magis nigro usa intervalla quibus carmina vel carminum partes separantur implevit. Sed eos numeros quibus decimus quisque versus notatur eadem manus adpinxisse videtur quae carmina novem priora et decimi — Medeae — apographum posterius exaravit satis bona atque diligens. Priorem vero Medeam quae scripsit manus in charta exiliore serpentis signo notata, magis fluitat et quasi rapit literas neque linearum certum ordinem sequitur aut speciem faciemque nitidam curat. Quare non est quod miremur eum qui possederit librum aut conscripserit, apographum paulo politius subiunxisse. Nam solum prius exemplar adeundum est neque ulla alteri isti fides tribuenda quippe quod non discedat a priore nisi ubi vel oculus vel calamus scribae lapsus sit errore.

1) Appendix ad opera edita ab Angelo Maio. Romae MDCCCLXXI p. 10 sqq.

2) Catalogus Bibliothecae Latinae veteris et classicae manuscriptae quae in regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur descriptus a Cataldo Iannellio. Neapoli MDCCCXXVII p. 172 sqq.

Notae criticae in codice nostro non inveniuntur nisi tria puncta (.·.) quibus vel totos versus vel singula verba quae sibi corrupta viderentur scriptor notavit, et rubrica illa ℞ cuius causae minus facile perspiciuntur. Deletur vel punctis supernis infernisve vel id quod non nisi bis terve invenies linea obducta. Distinguitur puncto duplici sine ratione plerumque posito.

Codex olim fuit Iani Parrhasii. nam in ultima pagina atramento flaviore scripta leguntur haec: Antonii Seripandi ex Iani Parrhasii testamento. Post Antonium anno 1531 mortuum cum aliis libris Parrhasianis a fratre Hieronymo Seripando fratribus Augustinianis ad Carbonariam donatus huius demum saeculi initio cum omnibus Parrhasii libris et schedis in bibliothecam regiam delatus est[3]). Eas autem schedas qui inspexerit Iannelli opinionem videbit omni ratione carere, qui contenderat[4]) ipsum Parrhasium nostrum librum exaravisse, quamquam hoc quidem mihi negare non in animo est, Parrhasii tempore, fortasse ipsius iussu codicem scriptum esse: nimirum non addidit ille quot aureolis vel Mediolani vel Veicetiae vel ubicunque terrarum emerit librum, id quod in aliis Parrhasii libris saepissime legitur ipsius manu notatum, unde conicias Parrhasium vel dono librum accepisse vel suum in usum transcribendum curavisse. Ac fortasse iuvabit meminisse intima Parrhasium amicitia coniunctum fuisse cum Thoma Phaedro Inghirami[5]), hunc autem saeculo quinto decimo exeunte ex monasterio Bobiensi Romam advexisse libros, inter quos Draconti varium opus fuisse verisimillimum est[6]). Illud autem varium

3) de libris Parrhasii optime disseruit Cataldus Iannelli in libro quem 'de vita et scriptis Auli Iani Parrhasii' composuit (edito ab Antonio Iannelli Neapoli MDCCCXLIV) p. 157 sqq.

4) Catalogus bibl. Lat. etc. p. 172.

5) Iannelli de vita et scriptis Auli Iani Parrhasii p. 32. 33.

6) cf. Raphaelis Volaterrani urb. comm. lib. IV s. f. ed Francof. MDCIII p. 140 (quem locum iam indicavit Arevalus

opus quid aliud fuerit atque minora nostra carmina non video. Atque eadem carmina spectare videntur verba in Bobiensis bibliothecae catalogo anni 1461[7]) haec: 'Draconti cuiusdam versificatoris tractatus in versibus. in litera langobarda. medioc. vol.' Verum quem commemoratum videmus in vetere saeculi decimi catalogo Bobiensi Draconti liber[8]) utrum nostra carmina continuerit an laudes Dei et Satisfactionem — quas Bobii fuisse certum est cum imitatus sit Columbanus in epistola ad Hunaldum[9]) — hac de re ne coniecturam quidem facere licebit. Pervetustum sane et labe passim adfectum fuisse eum librum unde noster fluxerit, id minime dubium erit ei qui lacunas in initio vel fine versuum saepius inventas consideraverit: de ipso vero archetypo quale fuerit certi quidquam proferendi copia nunc quidem data non est, neque tamen omnis spes abicienda videtur fore ut aliquo in angulo Italiae aut adeo in scriniis Vaticanis ipsum reperiatur.

Ut nunc demum Dracontius in lucem prodeat miro casu factum est: neque solum Angeli Mai cura raptus Helenae ante quadraginta fere annos paratus erat qui ederetur, sed iam anno huius saeculi tertio decimo Cataldus Iannelli Helenae et Medeae editionem molitus erat, cuius nonnullae plagulae etiam typis sunt excusae, quibus Angelus Maius, dum viginti annis post Neapoli versatur, potitus ususque est ad suam Helenae editionem. Praefationi ad Ioannem Andresium bibliothecae regiae praefectum Iannelli adici uoluit scripsitque dissertationem de ceteris Dra-

in praefatione p. 24): 'Hic *Bobii* anno 1494 huiuscemodi libri reperti sunt, Rutilius Naumatianus — heroicum Sulpitii carmen, Draconti varium opus, Prudentii hymni *eqs.* quorum bona pars his annis proximis a meo municipe Thoma Phaedro bonarum artium professore est advecta in Urbem'.

7) quem edidit Peyron ante Ciceronis orationum fragmenta inedita. Stuttgard. et Tubing. MDCCCXXIV p. 45 164.

8) apud Muratorium antiqq. med. aev. III p. 820 D: 'librum Dracontii I'.

9) apud Migne Patrol. Lat. LXXX p. 286. inprimis v. 53 sqq. 79 sqq.

conti carminibus Neapolitanis adhuc ineditis, eius patria aetate condicione: indicem autem praefixurus erat hunc 'Aemilii Dracontii poemata duo hactenus inedita et ignota, nempe raptus Helenae et Medea, ex codice Regiae Bibliothecae Neapolitanae edita emendata et notulis illustrata a Cataldo Iannellio eiusdem Regiae Bibliothecae scriptore'. Haec omnia qua erat erga me liberalitate mecum communicavit Antonius Iannelli Cataldi fratris filius, qui etiam quomodo factum sit ut ista Cataldi editio supprimeretur literis ad me datis explicavit his:

Onde soddisfare le sue letterarie ricerche intorno alla edizione progettata e non eseguita degl' inediti poemi del Draconzio, mi pregio di communicarle queste storiche notizie che da me solo poteva attendersi, come quegli che ebbe intima relazione col defunto Cataldo Iannelli perchè mio zio, e però quasi per un decennio suo contubernale.

Dagli Anecdoti del ch. Ab. Andres Ella avrà certamente attinta la notizia, che il merito della scoverta del Draconzio fra i codici latini di questa nostra Biblioteca Nazionale, era tutto del prelodato mio zio, al quale quell' insigne letterato ed esimio protettore della gioventù studiosa commise il carico di trascriverlo, di ammendarne la lezione, di comentarlo, per poi eseguirne la edizione[10]. — Avvegnacchè il Iannelli per le durate fatiche si trovasse travagliato da molto cagionevole salute, accettò non pertanto l'onorevole incarico, e diede opera tanto strenua

10) Anecdota graeca et latina ex Mss. Codicibus bibliothecae regiae Neapolitanae deprompta vol. I Prodromus (*unic.*) auctore Ioanne Andresio S. I. eiusdem bibliothecae praefecto. Neapoli MDCCCXVI p. CIII: 'Eiusdem (Cataldi Iannelli) diligentia ac industria Dracontii plurima carmina non solum inedita, sed prorsus etiam ignota reperta sunt, quae et Dracontii poetae iamdiu in vulgus editi, sed nondum satis cogniti splendidiorem magisque nitentem faciem eruditis lectoribus repraesentare, et antiquae mythologiae, quae satis iam cognita videbatur, novam quodammodo lucem affundere valebunt'.

ad assolverlo, che nell'Agosto del 1813 erano pronti per la stampa due degl' inediti poemetti Draconziani, ed un Commentario nel quale il Iannelli discorreva il pregio della intera Silloge, e segnatamente de' poemetti preferiti, de' quali l'uno aveva per titolo „Il ratto di Elena"; e quello di „Medea" il secondo; e dippiù investigava e tratteggiava la vita del Poeta. Che il lavoro ond'è parola fosse stato compiuto nell' Agosto del 1813 chiaramente si argomenta dalla lettera che il Iannelli diresse all' Ab. Andres, al quale dedicava l'edizione, lettera che porta la data „Dabam Neapoli Kal. Septembris 1813". Per ciò che spetta l'epoca della scoverta, sebbene non mi avessi argomenti certi per fissarla, pure credo sia stata posteriore alla pubblicazione del Codice Perottino, e però avvenuta nel 1810 al 1811. — L'edizione finalmente dei due poemetti di Draconzio con le note del Iannelli, per essere seguita da quella del Commentario dello stesso, potette cominciare contemporaneamente a quella degli Anecdoti dell' Andres, o poco dopo, cioè nel 1816.

Succeduto all' Andres nella Prefettura della Biblioteca l'Ab. D. Angelo Antonio Scotti, questi non solamente non si mostrò benevolo come il suo predecessore verso il Iannelli, ma geloso dell'onore fattosi dallo stesso colle precedenti pubblicazioni del Nuovo Fedro e de' Commentarii appostivi, non promosse la continuazione della stampa del Draconzio, anzi la fe perfettamente dimenticare.

Sono queste le poche notizie che rapidamente ho potuto scribacchiarle: le accolga come argomento di stima, e mi creda.

Dalla Biblioteca Nazionale di Napoli, li 2 Ottobre 1872.

Antonio Iannelli Bibliotecario
asistante nella Biblioteca nazionale.

Huic editioni subiunxi 'Draconti Satisfactionem ad Guthamundum regem Vandalorum dum esset in vinculis', quippe cuius summa in eisdem querelis versetur, quae in epithalamio altero (VII) proferuntur. Edidi elegiam eodem usus quo Arevalus codice Vaticano, qui est Azagrensi et Sirmondianis ab Eugenio Toletano interpolatis uberior, cuius novam collationem meum in usum accuratissime confecit Georgius Kaibel amicus. Codex est bibliothecae reg. Suec. 508 (1267) membranaceus saeculi undecimi. descripsit eum Arevalus in praefatione sua pag. 58 80 81 atque imaginem adiecit subscriptionis, unde hoc quidem omni dubio eximitur, esse ad Guthamundum elegiam scriptam, qui Carthagine regnavit annis 484—496. Sed de his rebus aliisque ad Draconti vitam certius constituendam necessariis quae poeta ipse indicat collecta invenies in indice nominum.

De re grammatica et metrica quae scitu dignissima videbantur, collegi in specimine sermonis, eum vero qui maluerit haec omnia sub uno conspectu componi, relego ad praefationem quam Carolus Schenkl libello ei praemisit quo Orestis tragoediam edidit. Tanta enim isti carmini dispositionis, verborum, dictionis, integrorum versuum similitudo cum nostris carminibus intercedit, ut eundem Dracontium Orestem scripsisse mihi quidem persuasissimum sit. Nonnulla ipse tam in notis quam in sermonis specimine composui similia, plura inveniet quicunque utraque carmina accuratius comparaverit. Sed haec hactenus. omnes autem quibus hic libellus in manus venerit non minorem quam memet ipsum gratiam habituros esse Buecheleri dilectissimi praeceptoris ingenio acerrimo hoc scio.

Dabam Bonnae die nono mensis Decembris.

I. Praefatio Dracontii discipuli ad grammaticum Felicianum, ubi dicta est, metro trochaico cum fabula Ylae. [p. 1]

Orpheum uatem enarrant ut priorum litterae
Cantitasse dulce carmen uoce neruo pectine
Inter ornos propter amnes atque montes algidos,
Quem benignus grex secutus cum cruenta bestia
Audiens melos stupebat concinente pollice:
Tunc feras reliquit ira, tunc pauor perterritas,
Lenta tigris, ceruus audax, mitis ursus adfuit,
Non lupum timebat agna, non leonem caprea,
Non lepus iam praeda saeuo tunc molosso iugiter.
Arte sed, natura rerum quis negat concordiam,
Hos chelys Musea totos Orpheusque miscuit.
Sancte pater o magister, taliter canendus es,
Qui fugatas Africanae reddis urbi litteras,
Barbaris qui Romulidas iungis auditorio,
Cuius ordines profecto semper obstupescimus,
Quos capit dulcedo uestri, doctor, oris maxima.
Nostra uota te precamur ut secundes, optime,
Ante cuncta non recusans illud ipse pendere
Non tua uirtute laudes mente sed qua concinam.
Nos licet nihil ualemus, mos tamen gerendus est.
Ergo deprecantis oro cinge lauro tempora.

Inscriptiones quibus numeri quoque praepositi sunt alia manus, eodem fere quo liber scriptus est tempore, magis nigro atramento addidit. 1 ecce enarrant tot *Buech. proposuit* 4 rex: *eadem qua inscriptiones additae sunt manu in margine uides adnotatum* grex *et lineolis cum textu coniunctum* 5 concinnente 6 in mei, Territa *corruptelae signo* in *et* Territa *notata sunt.* perterritas *temptaui sensui magis quam libri indiciis satisfacturus* 7 Lentas 8 *cf. Horat. epod. XII 26* 10 Artis ex *corr. Buech.* 11 cęlis museṭa *corr. Buech.* 12 pater o] patriae *temptauit Buech* | aliter *corr. Buech.* 18 Antea 19 tua quirite *corr. Buech.* 20 mox tamen genendus est *corruptelae signo* genendus *notatum. corr. Buech.*

II. Exp. praefatio trochaicis uersibus dicta. Incipit Ylas.

Fata canam pueri Nympharum uersa calore
In melius, si Musa mones: quis casus ademit
Alcidi comitem, solamen dulce malorum?
Fuderat Idalius gremio se forte parentis
Pinniger et collum uiolentis cinxerat ulnis
Oscula pura rogans. mater deuota coruscos
Indulget uultus roseoque est orsa labello:
[p. 2] 'O mundi domitor, caeli quoque flamma tonantis,
Numen posco tuum cuius sub iure uaporo,
Per tua tela, puer, fecundis inlita flammis
Ut des effectum uotis de more parentis.
Nil rude, nate, precor nec supplex improba posco,
Ardua non iubeo quamuis magis ardua uincas.'
Ille refert matris disrumpens uerba precantis:
'Magna iube, non ausa prius, sublimia manda
O genitrix. quo tela uocas aut quid petis uri,
Quem diuum modo forte iubes hominumue *lacessi*?
Exprime, flammetur. quid fletu lumina tinguis?
Audeo, si cupias, ipsum flammare Tonantem
Et dominum caeli facie uestire iuuenci
Oblitumque poli rursus mugire per herbas
Confessus per prata bouem: cadat aureus imber
Diuitias ut tecta pluant, sit fulminis ales
Ipse sui, satyrus cycnus Latonia serpens:
Alcmenam galeatus amet, mucrone coruscet
Et clipeo rutilante tonet dum miles adulter
Coniungat noctes subtracta luce dierum.
Si Pallas placeat, nostros iam sentiet ignes

II *in inscriptione* throchaicis 1 Facta | colore 5 uolentis *corr. Buech.* 10 *hunc uersum eadem manus eodem atramento in margine adscripsit et lineolis cum textu coniunxit. neglectus est numeratione uersuum marginali* 17 hominum de *sequitur corruptelae signum* *post* 21 *cum structura hiet omnino uersus periisse uidetur* 23 sint *corr. Buech.* 24 Ipse ui *corruptelae signum uersui praepositum. corr. Buech.*

Uirgo ferox sexu, fugiet uiresque fatiscet
Ut solas tractet reiecta cuspide lanas.
Noster Sirius est ardor. Neptunus anhelans
Aestuet inter aquas telo flammante per undas,
Igne meo uincentur aquae, fumantibus undis
Tritones Galatea, Thetin delphines amabunt:
Quidquid fluctus habet totum succendo pharetris.
Siue, parens, optas homines his ignibus ustos
Inlicitos uiolare toros, ut non pia patris
Oscula nata petat nec natus matris amator [p. 3]
Dulce nefas cupiat frater uitietque sororem
Priuignoque suo potiatur blanda nouerca:
Alter erit Perdicca furens atque altera Myrrha,
Iuppiter alter erit terris de fratre maritus.
Parua loquor. tauro, si iusseris, altera regis
Flammetur coniux reddetur et altera Phaedra.'
At his laeta Uenus uultu mutata renarrat:
'Impubes lasciue puer cui subiacet omne
Quod natura creat, caelum mare sidera tellus,
Nemo notet Uenerem quod supplex mater amorum
Ignis opem de prole rogat. nam munere in isto
Quamuis sit communis honor tamen, alme, fatemur
Hinc numen plus posse tuum. lamenta parentis
Si placet ulcisci, paucis aduerte, docebo:
Nympharum, puer alme, chorus dum pensa reuoluit
Penei sub fonte sui — pudet ore referre —
Solis amata canit Clymene mea crimina Nymphis
Meque suo prensam Nymphas monet indice Sole,
Uulcanique sonant captiuo Marte catenas.
Quis audire libet de nostra clade canentem.
Sed si de nobis certe cantare placebat,

29 fatetur *quod posui temptauit Buech.* 30 solus | retecta 31 sireus | auctor *corr. Buech.* | Neptunnus 36 Si parens optaris *corruptelae signum uersui praepositum. corr. Buech.* 38 *praestat* uel 41 perdica | myrra 43 tauros 44 Phedra 45 *conferas* IX 89 46 Impudens *corr. Buech.* 48 notat *corr. Buech.* 49 opem *corr. ex* opes 50 *hic uersus eodem quo uersus* 10 *modo margini adscriptus numerisque exemptus est* 54 Poenei 55 Climene 58 Quas *corr. Buech.*

Iudicium Paridis uel nostros, nate, triumphos
Cantarent fluidae carpentes pensa puellae.
Est gemitus haec causa mei. quas ure sagittis
Corda uel illarum dulci continge ueneno:
Noscant quid sit amor, discant tua tela *puellae*.
Alcidis comes est comes puerilibus annis
Quem rubor ut roseus sic candor lacteus ornat,
Illi purpureus niueo natat ignis in ore:
[p. 4] Hoc puero uiso Nympharum turba calescat.
Haec illis sit poena nocens ut uota trahantur
Ipsarum in longum donec pubescat amatus.'
Ibat adhuc in uerba dolor ni pinniger audax
Dimittens matrem fricuisset cote sagittas.
Arcu cinctus erat, dantur post terga pharetrae
Accipit et flammas hominum diuumque uoluptas.
Euolat armatus. uix caelum liquerat ales
Iamque tenet terras: sic currit mentis acumen.
Ut uenit ad fontem, lapidem proiecit in undas.
Concussit uitreo sonitus sub fonte puellas.
Exiliunt cunctae, quaerunt quae causa quietas
Sollicitet. uolucer fugiens nemus intrat opacum,
Moxque dei uultus uestiuit imago Naidis,
Tendit membra puer longos ut crescat in artus
Ut possit complere dolos ac iussa parentis
Glauca pedes fluitans uestis laxatur ad imos,
Candida diffusi ludunt per colla capilli
Et uento crispante gradu coma fluctuat acta,
Frons nudata decet diuiso fulgida crine,
Et uelut inuitos gressus pudibunda mouebat
Incedens fluxoque latent sub tegmine pinnae.
Misceturque puer Nymphis sub fronte puellae
Et causas perquirit Amor cur fonte relicto
Terras cauta petit, facilis cui turba fluenti

62 genitus *corr. Buech.* 64 Noscat *corruptelae nota uersui praeposita* 65 comes] florens *uel* mollis *conicias* 71 Iret *corr. Buech.* | ni uerba 73 Arcucintus 74 Accipiet 81 *alia et proba mensura* Naidas VII 35 84 *corruptelae nota praeposita. spatium non relictum* 89 Incendens

Rem pandit. periurat Amor quasi nescius esset.
Interea post bella suis Tirynthius ibat
Uictor ouans, cui iunctus Ylas pulcherrimus haeret
Gestans fulminei pellem cum dentibus apri,
Et licet inualidus haec pondera ferre laborat, [p. 5]
Ipse tamen gaudet quasi iam commune trophaeum
Gestet et Alcides non solus fuderit aprum.
Horrent Alcidem Nymphae mirantur Ylanque.
Ex quibus una tamen cunctas adfata sorores
Haec ait: 'O faciles Penei numina Nymphae,
Dicite quando parem puerum natura dedisset.
Non fuit Hippolytus talis, non pastor ab Ida,
Nocturnae fulgore deae non pulcher Iason,
Nec Bromius iam talis erit nec magnus Apollo.
Felix sorte sua cui talis semper imago
Seruiet et roseis recubans dabit oscula labris.'
Cum nimium laudatur Ylas, se subtrahit ales
Et profert arcum permiscens mella uenenis,
Armat tela dolis et spargit spicula Nymphis.
Pallescunt omnes, subitus rubor inficit ora,
Tendunt membra simul, cunctis respirat hiatus
Oris et ad crines digiti mittuntur amantum,
Incipiunt fari mediaque in uoce resistunt:
Tot signis uulgatur amor. Clymeneque sorores
Adloquitur: 'placet almus Ylas rapiatur in undas
Ut sit noster amor. nec erit mihi crimen amanti:
Dione Paridem, Lycastum zelat Amazon,
Pulcher amatur Adon, Furias amat ipse Cupido:
Quod caelum quod terra fretum quod sidera Pluton
Exercent per saecla diu, cur Nympha ueretur'?
Cum loquitur, cantabat Ylas fontemque petebat
Hauriturus aquas. urnam licet ipse tenebat,

94 Tyrinthius 95 uinctus 98 triumphum *corr. Buech.* 101 cuntas 102 poenei 103 puero natum natura 104 Hippolitus 106 appollo 110 proferat 113 *cf.* X 233 116 Clymenaque 117 ut undas 118 amantis 119 Lycassum | celat 121 sydera 122 Exercet 123 *fortasse* transibat *Buech.*

Ut puer est uisus, faciles risere puellae
6] Et lautum uenisse putant. placet omnibus idem:
Uix urnam submisit aquis dextramque tetendit:
Cum quo se Nymphae pariter mersere sub undas.
Expauit sic raptus Ylas pauidusque petebat
Herbida quo uitreum tellus perfuderat antrum.
Deiopea tamen cunctas hortata sorores
Adloquitur puerum: ‘non te decet ora rigare
Fletibus, alme puer, ploret deformis imago,
Non est flere tuum, mundum tibi nullus ademit.
Nos rosa, nos uiolae, nos lilia pulchra coronant,
Nos Hyacinthus amat, noster Narcissus ab undis:
Fontigenis dat serta comis redimitque capillos
Quidquid floris olet quidquid dant prata ru*boris*.
Tu noster iam sponsus eris sine fine dierum.’
His dictis mentem pueri mulcebat amica.
Interea furibundus adhuc Tirynthius ibat
Et clamans quaerebat Ylan, cui littus et unda
Herculea cum uoce sonant, et nomen amati
Montes silua uocant, tantum fons ille tacebat
In quo raptus Ylas: cum iam remearet ad *astra*
Post factum pinnatus Amor matrique triumphum
Adportaret ouans, uocem deus Herculis hausit
Et gemitus quaerentis Ylan. cui gesta fatetur,
Alcidis comitem fontis rapuisse puellas,
Ignibus Idaliis exutas Herculeas spes.
Obriguit gemuitque simul clauamque remisit:
‘O frustra nutrite puer, spectator ubique
Uirtutis per cuncta meae. te teste pericla
Saepe tuli cum uictus aper, cum fracta leonis
[p. 7] Colla Cleonaei telo parcente necantur,

126 Et lentum *corruptelae signum interiectum. corr. Buech. in margine literae conspiciuntur* Cy 129 pauidus] littus *conicias nisi uersus unus pluresue interciderunt* 136 Iacyntus 137 redigitque 138 floris solet *corruptelae nota uersui praemissa.* ruboris *suppleuit Buech.* 141 Tyrintius 145 *uersui praefixa est corruptelae nota* 150 Idalij rexutas 151 clauumque 154 Sepe 155 cleonei

Cum simul Antaeum rapui telluris alumnum.
Quis mihi sudorem lasso post proelia terget?
Quis comes alter erit cum dat fera bella nouerca?
Quid matri narrabo tuae quae te mihi paruum
Deposuit, pietatis inops quae pignora reddam
Cum conuentus ero? dicam tamen ipse parenti:
'Exulta, genitrix, nimium laetare, beata
Ante parens hominis, pulchri modo numinis auctor.'

III. Exp. fabula Ylae. Incipit praefatio ad Felicianum grammaticum, cuius supra, in auditorio cum adlocutione.

Fructibus apta quidem cunctis est terra creatrix
Altius intendens sed causas perspice partus
Et totum cognosce poli: nam rore maritat
Arua suo uel sole fouet uel temperat aestus
Alternans elementa potens, ut reddat et umbras
Montibus arboreas et culmos armet aristis,
Uentilet et matrem grauidam pendentibus uuis
Pampinus exultans et palmes uerberet uuas
Contortusque fluat nodo uiridante corymbus
Et nunquam positura comas flectatur oliua.
At si temperies rerum opportuna negetur,
Infecunda forent squallentia uiscera terrae
Et limos obducit ager deceptus inhaeret.
Discipuli sic quippe silent si forte magister
Tollatur, doctrina potens qua praeduce ductor
Antistesque tuus. de uestro fonte, magister,
Romuleam laetus sumo pro flumine linguam
Et pallens reddo pro frugibus ipse poema:

156 anteum 1 creatis *corr. Buech.* 2 partas 3 conosce 4 tempera haustus *cf. Drac. de deo I 590* 6 arboreis *corr. Buech.* 11 oportuna 13 limus. *antea temptaui* limis obductus | inhęret] inertes *Buech. proposuit. latet fortasse imperfecti forma* 15 dictor 17 Romuleum | summo *corr. Buech.*

[p. 8] Tu mihi numen eris si carmina nostra leuaris,
Nam tua sint quaecunque loquor quaecunque canemus.

IV. Exp. praefatio. Incipit adlocutio. Uerba Herculis cum uideret Hydrae serpentis capita pullulare post caedes.

Iuppiter omnipotens, celsi moderator Olympi,
Cur mihi uiperei fetus mala fata minantur?
Te regnante, parens, in me coniurat iniqua
*Serp*entum cristata manus. sed forte superbi
Nunc caelum terras pontum fulmenque trisulcum
*Her*edes et Iuno tenent, seu fulgidus ortu
Proruis ad terras seu iam defessus anheli
Sideris occasu maestus tua regna relinquis.
Paenitet, alme parens, uestra de stirpe creatum
Alcidem, quia nullus honos et mille pericla.
Nam quodcunque malum superas emergit in auras,
Herculis hostis erit. per nos nam bella geruntur,
Iuno nouerca furens potuit quae uicta parare
Priuigno, natum quem comprobat esse Tonantis
Dum nobis immensa iubet, me proque triumphis
Horrida bella manent et nunquam stare licebit
Hoste sine trucibusque diu concurrere monstris
Compellor. genitor, te in nosmet pessima coniux
Horrescit, misero semper tu causa pericli es.
Nam mihi reptantes tumida ceruice dracones
Iuno duos misit, quis frontem crista tegebat,
Flammea lux oculis, pro spumis tetra uenena,

in inscriptione pulare 4 *uno eodemque octonarum literarum spatio quattuor uersus a margine remoti sunt* | nium 8 maestos 11 superans se uincit *corruptelae signo* se *notatum* 15 quoque 18 te in nosmet] *corruptum uidetur. sensui respondet* te, non me 19 Orrescit 20 reptanti *corr. Buech.* 22 tecta *corruptelae signo notatum corr. Buech.*

Sibila uibrabant linguis ab dente trisulcis.
Terror erat uisus cunctis sonitusque draconum:
Quos manibus ridens compressi paruulus ambos.
Hi tribuere mihi primum pro morte triumphum, [p. 9]
Et letum, non praeda, fui Iunonis alumnis.
Hostes deesse mihi dixi post bella leonis,
Quem nullo mucrone peti nec uestibus ullis
Implicui fretus manibus, nec maurus ad illum.
Cuius pelle tegor. nunc fortiter ecce tabescens
Tertia bella gero quae caedes passa resurgunt.
En totiens percussa lues magis extitit ardens
Et nunquam sternenda uenit. pro fata nefanda.
Uincere peius erit, propriis nam uiribus ipse
Impugnor. saeuos gladius mihi suggerit hostis,
Non rapit ecce meos, sed proelia uicta reformat.
Huc quicunque deus frater mihi summus Olympo es
Huc ades et miseri tandem succurre periclis.
Sed quaeso uenias soboles ut nulla nouercae,
Quamuis sis frater. iam tu succurre Minerua
Bellipotens, patrius cui casside fulgurat ardor,
Quae clipeo rutilante tonas, quae fulmina uibras,
Pectore saxifico cui militat impia Gorgon.
Intemerata soror de uertice missa Tonantis,
Sudori succurre meo. quibus artibus angues
Extinguam, qui sponte petunt mucronis acumen?
Ut crescunt gaudentque mori fera corda draconum.
Caesa uigent, alter surgit de uulnere serpens.
Consilium mihi uirgo dedit: quia mucro laborat
Incassum, gelida flammis exure uenena
Et praestem cum morte rogos, caput omne perurat
Ignis edax anguesque crement post uulnera flammae.

24 Terrot 27 preda 30 maurus *corruptelae signo notatur* 31 tabescent *Buech. coni.* labascens 33 luens 36 gladios *corr. Buech.* 38 hoc | pater mihi summus olympo es *corr. Buech.* 40 queso 51 In casum 52 prestem *delendi signo* r *litera notata* *post* 53 *legitur* Τέλος

[p. 10] V. Controuersia de statua uiri fortis. Uir fortis optet praemium quod | uolet. pauper et diues inimici. bellum incidit ciuitati. diues fortiter | fecit: reuersus praemii nomine statuam petiit et meruit. secundo fortiter | egit: reuersus petiit praemii nomine asylum fieri statuam suam et | meruit. tertio fortiter fecit: reuersus petiit praemii nomine caput | pauperis inimici. pauper ad statuam diuitis confugit. contradicit:

Quis furor iste nouus? quae tanta licentia ferri
Poscitur ut ciui liceat prosternere ciues
Et facinus sub laude gerat crimenque triumphum
Dicat et hostiles patriae reuocare sagittas
Ciuili sub lege uelit, uiduare maritas
Matronas, orbare patres, iugulare propinquos
Reliquias belli? scelus est cum lege necare
Pro quibus arma tulit. mitis si uinceret hostis
Parceret atque humiles uellet seruare cateruas.
Iam non pro patria uir fortis bella gerebat
Defendens umbone latus per proelia cristas
Dum quateret galeatus apex aciesque cruentas
Letifero mucrone premens. sub imagine ciuis
Impius hostis erat merito, qui uincere uellet
Ut ciues iugularet ouans. optate tyrannos,
Iam, proceres, uincant hostes quibus aspera mens est
Nec studium post bella manet: dum classica rumpunt,
Hostibus externis grauis est inimicus in armis,
Post aciem dominus mitis qui uincit habetur
Aut ex hoste manet simplex ac fidus amicus,
Si bellum sub pace cadat. quod sentio prodam:
Iam ciues formido mei, uos ergo cauete.

in inscriptione controuerssia | inmici *et post* nimici | premium *et* premia *deinceps* | *14* nonne 12 apte *corr. Buech.* 13 Laetifero 15 orbans 16 uincat *corr. Buech.* 18 grauis inimicus 20 uenit *proposuit Buech.* 22 cadete *corr. Buech.*

Hostibus obstrictus patriae de clade pacisci [p. 11]
Clam potuit qui saeua parat, qui colla propinqui
Ciuis et insontis nititur truncare cruentus.
Perdidimus quoscunque uiros, forte iste necauit.
Classica dum reboant et Martia tela pluuntur,
Inter ferratas acies lituosque sonantes
Obuius armato iuueni si ciuis adesset,
Quid faceret qui in pace furit, qui turpibus instat
Mortibus insontum, qui funera pressa reformat?
Seruati ciuis nunc sunt ubi praemia quercus?
Reddite bella, duces, inimicas reddite gentes,
Barbarus omnis eat, rapiant simul arma Sueuus
Sarmata Persa Gothus Alamannus Francus Alanus,
Uel quaecunque latent gentes Aquilone remotae,
In nos tela parent: minor est pauor, aduena campo
Prodeat armatus, muris seruare salutem
Si nequeas pugnare licet. cum ciue per urbem
Infelix quid ciuis agat, quid nocte dieque
Moenia rostra forum capitolia templa penates
Inlustrans et fana simul delubra theatra
Circumeat cum ciue malo, cum ciue cruento?
Nullus ab insidiis locus est qui fraude uacabit.
Adde quod iratus uictor cum lege minatur
Et lator legis ciuilia iura repellit,
Ut legem premat ipse suam quam sanxerat ante,
Dum uictor post bella redit, cum testis imago
Formatur uirtutis honos et gloria campi,
Laetantur mites, gaudebat turba reorum
Et ueniam meruisse putant. quis ciuis asylum
Credat in arce micans insontibus esse periclum? [p. 12]

Pauper adest miserandus inops sed ciuis honestus Narratio
Semper egens humilis dignus quem diues amaret,
Cuius in obsequio famulari posset alumnus,

23 obstrutus *corr. Buech.* 26 fortes 32 premia 35 Gotthus 38 Producat *uersui praefixa est corruptelae nota* 41 poenates 42 Inlustrant *corr. Buech.* 47 ipsa 50 mites] maesti *uoluit Buech.* 55 Turba superborum *in initio uersus scripta uides sed expuncta* | Ciuis *corr. Buech.*

Turba superborum sineret si turba clientum,
Qui dignum seruire putans indignus habetur
Uel fastiditur supplex. inimicus et hostis
Diuitis arguitur pauper qui uota clientis
Ausus habere miser nec haec tamen ipse meretur,
Sed probus horretur. domibus magis ille potentum
Liber amicus erit quisquis uult esse satelles,
Quo praesente nefas committitur atque siletur,
Aut scelus hoc si forte sonet tamen ille negabit
Sponte petens tormenta cruces per membra per artus
Carnifices flammas proprio satiare cruore,
Tortoris laudare manum, pro diuite poenas
Si patitur, si uincla gerens ergastula perfert,
Se reputet cruciasse alios ut crimina celent,
Ut talis diues qualis mendicus amari
Possit et infelix ad crimina conscius esse,
Ut teneant fauces obsessas nocte latrones,
Aut pelagi rabidos fluctus pirata uagetur
Nec timeat ualidas sub tempestate procellas
Praedo, iuuet petulans ut luxurietur adulter
Et tractet de clade uiri de morte mariti:
Ultima cena datur quam praestat adultera coniux
Pocula mortifero corrumpens blanda ueneno,
Cum gaudet conuiua, perit. spes crimina ducit
Fit facinus cum lucra petunt, impune libido
[p. 13] Dum peccare cupit uindex subducitur *omnis*,
Quem perimit sub fraude reus. cuicunque furori
Est operae pretium, sperant sua praemia culpae.
Conicitur cuicunque bono quod Cassius inquit

56 Turba] tanta *conicias uel* torua *uel simile quid* 57 Quid dignum *corr. Buech.* 58 fastidicus *corr. Buech.* 60 nec tamen *corr. Buech.* 61 Nec tamen ipse meretur *ante hunc uersum repetita uides notamque corruptelae praefixam* 63 pre-
f
sente | nephas 64 negauit *corr. Buech.* 68 ergastula portet *corr. Buech.* 69 celet *corr. Buech.* 70 *spatium non relictum* 71 Posset | esso 72 obsessa 75 Praeda uiuet 77 cęna 80 Ad *corr. Buech.* 83 sperans *corr. Buech.*

Crimina temnentur, fortisque in paupere diues
Quid timet aut optet uos saltim aduertite ciues:
Res est nulla domi cupiat quam diues auarus,
Non aurum non gemma micans, et turpis egestas
Obsedit ieiuna fores. audacia forsan
Pauperis horretur ne clam temerarius exstet.
Quando fugax praesumptus erit uel debilis audax?
Nam si fortis erat saeua uirtute superbus,
Praemia, non ueniam peteret sub hoste reorum.
Quod nihil admisit crimen dat praua uoluntas
Diuitis insonti. furor est uoluisse necare
Pro quibus arma tulit. quid prodest pellere bellum
Si reuocat post bella neces? aut pacta nefanda
Hostibus obstrictus seruat qui ciuibus instat
Ut pereant, aut ipse cupit magis esse tyrannus
Ciuibus extinctis credens sua uota latere.
Si iugulet miseros iniusta morte necando
Suspectos quoscunque putat, nihil ergo relinquet:
Omnia sunt suspecta. reos si moribus esset
Ille bonus, seruare pios seruare modestos
Debuerat sub pace sua, non colla nefandus
Aut inimicorum mallet fudisse cruorem,
Quorum uerba pauens diues uixisset honeste.
Sic sapiens olim Romana potentia iussit
Ne pereat Carthago nocens inimica senatus
Et populi Aeneadum, cotem uirtutis habendam. [p. 14]
Sed ne Troiugenis per tempora pigra lacertis
Torporem pax longa daret, post uicta rebellis
Et consumpta simul iacuit congesta ruinis.
Et tamen haec renouata micat quibus occidit armis.
Haec igitur recidiua uiget post busta resurgens
Phoenicis in morem. uirtus clementia patrum.
Tu testis Carthago manes inuita uolensque.

86 saltim 89 audatia 94 Quid | parua *corr. Buech.* 97 Scire uocat 100 extintis 101 necandos *corr. Buech.* 103 reos in mortibus *corr. Buech.* 104 bonos *corr. Buech.* 107 honestae 109 Nec | Chartago

Excessus. Quod scelus est, iuuenis? socios in bella tueris
Et ciues in pace necas: quid fata minaris
Impia supplicibus, quid funestare triumphos
Contendis post bella tuos et luctibus imples?
Nec pudor est uariasse uiro? de ciue trophaeum
Nemo triumphator rapuit nec in arbore cristas
Erexit quicunque cruci suspendit. imago
Uestra caput ciuis, manes mereatur et umbras?
Uirtutis uestrae circumdent funera testem
Et fortis simulacra uiri ciuile cadauer
Polluat ac putres effundant ossa medullas?
Uictoris genio sanie cum tabe litetur?
Quaere sacerdotem: ueniet crudelis Erichtho.
Haec est apta tuis antistita saeuior aris,
Quae calidas rapiat fibras pulmonis anheli,
Sorbeat ereptum uel morsibus illa cruentis
Uel uiuente iecur uel cor cum palpitat intret
Dentibus obscaenis lingua lambente palatum
Prostrati ciuis. haec sint tua munera, uictor?
Hostia talis eat, talis tibi uictima parcat?
Sit tua terribilis Phalaris ceu taurus imago?
[p. 15] Taurica crudelis mitis tamen ara Dianae
Nec Busiris atrox Aegyptius ille cruentus:
Solus enim per templa deum sine morte propinqui
Sacra peregrinus funestat et aduena tantum,
Inlaesus nam ciuis erat. tu, uictor, inique
Sardorum qui sacra probas et moenia foedas
Lauro cincta tua uestris ornata coronis.
Insula delubris natorum colla secabat,
Uerticis unde comam uera pietate parentes
Inlaesa ceruice metunt. Carthago duorum

124 ciuis *corr. Buech. sequitur* manes mereatur et umbras *sed expunctum* 125 *in initio uersus* uirtutis *legitur sed expunctum* | uestra *rasura corr. e* uestre 127 portis *corr. Buech.* 130 ericto] *corruptelae signo notatum. eadem ut uidetur manu in margine adscriptum est* allecio 131 antistia 137 parcat *corruptum fortasse* sacra 138 Falaris | centaurus *corr. Buech.* 142 funestet aduena 143 eras *corr. Buech.*

Annua nobilium praestabat funera templis
Saturnoque seni pueros mactabat ad aras,
Tristia plangentum foedabant ora parentum.
Hoc uir fortis agis, rapientur uiscera *matri*,
Et perit ante oculos genitoris pignus amatum
Aut populo spectante cadet? cum Troia periret,
Filius Aeacidis uel uindex Pyrrhus Achillis
Ante oculos Priami percussit nocte Politen
Belli iure furens. tamen ultio digna relata est,
Ipse Neoptolemus iacuit percussus ad aras:
Qualiter impietas se uindicat, impie uictor.
Quid matris patriae uenerandam polluis arcem?
In qua templa sedent, ubi numina saepe precati
Fleximus, ut sospes rediens et uictor in armis
Captiuos post bella trahens et uulnere lassos
Intrares patriam, ne saeuus uinceret hostis
Qui scandens muros ciues laniaret in urbe.
Hoc matres puerique rogant, hoc ipsa senectus,
Uirginitas hoc casta petit, hoc pauper adorat.

Quaestio: At inquies: sed pauper inimicus insidianter [p. 16]
potuit de morte diuitis cogitare.

Si potuit, uoluisse puta. nam uita potentis
Non iacet insidiis nisi diuitis atque propinqui
Aut certe si sceptra uigent sub regis auari
Imperio. fortem timidus formidat et horret,
Non fortis lassum timuit nec diues egentem.
Debilis et pauper nudus mendicus egenus
Quem macies suprema tenet, quem frangit egestas,
Unde necem potuit pauper tractare potentis?
Solus abit pauper nec se circumspicit unquam
Nec timet insidias semper bene conscius insons.

152 *corruptelae nota praefixa* | *post* uiscera *literae conspiciuntur* tr   155 eacidis   159 impietas (en *supra*)   172 timuit] *fortasse* metuit. *uide u.* 178

Sollicitus multos metuit quem turba ueretur,
Circumdant famuli, plures stipantur amici.
Diuitis obsequio concurrit turba clientum,
Sic iter aptatur uel transitus ille paratur,
Audeat ut nullus hoc praetereunte uenire.

Quaestio: At inquies: sed potest uenenum pauper diuiti secreta obreptione supponere.

Tetra uenena neci pretio maiore parantur
Et munus secreta fouet: quis conscius unquam
Incorruptus erit, qui non sit sorte redemptus
Quantam diues habet, quantam nec pauper habebit?
Adde quod infelix pauper nec nocte propinquat
Diuitis ad tectum. nam mox pro fure tenetur,
Nocturnus grassator erit, ferietur inermis
Et prostratus inops armabitur ense cruento
Ut gladium strinxisse putes in fata potentis
Diuitis ante fores. medicos aut forte ministros
[p. 17] Sollicitare potest audax sub nocte silenti
Qui sub luce fugit? pauidos informat egestas,
Diuitiae uires praestant animosque resumunt.
Paupertas conferre metus adferre pauorem
Nouit et in miseros semper stimulare potentes.

Forsitan obiicias: urbis defensor habetur.
Non opus est laedatur, ais. nec laedat honestos,
In commune bonos totos defendat et ornet,
Erigat oppressos, mediocris pauper ametur.
Non ideo bellum tota uirtute peregit
Ut liceat ciui ciues impune necare.
Fortior est diues iuuenis, magis inde timendus.

178 *post* multos *legitur* timuit *sed expunctum* 184 qui *corr. Bucch.* 185 quisquis *corr. Buech.* | forte *et* 186 *bis* quantum *quod posui temptauit Buech.* 191 petentis 197 *spatium relictum signumque corruptelae praefixum est. de supplemento conferas* IX 7 | *alia quaestio in sequentibus tractatur. nonnulla exciderunt.* 200 bonus *corr. Buech.*

Diuitiae *nimiae* semper fecere tyrannos:
Hinc Marius hinc Sylla ferus hinc Cinna cruentus,
Inde fuit Caesar, dominatio prima senatus.
Nam domitor Libyae bellorum Scipio fulmen
Fortis adultus adhuc totos qui uicit Hiberos
Hannibalisque trucem fregit per bella furorem
Ac populatorem Romanae gentis adegit
Sorbere mortiferum ceu pocula blanda uenenum
Et caput infaustum legatus uexit ad urbem,
Minturnas depulsus obit. pius inde Camillus
Missus in exilium, nec Romula tecta uideret
Ni satis offerret, uictor licet exul ab urbe,
Cum Romanorum Gallis uexilla tulisset,
Exul et extorris meruit de clade triumphum.
Mentibus ingenuis semper pro lege tenete:
Solliciti ueniam debent sperare potentes
Securi ne regna petant. das otia seruo,
Mox liber uult esse suus. iam nemo quietus [p. 18]
Diuitis insidiis durabit paupere caeso.

Quaestio: At inquies: sed legi parendum est quae sanxit ut uir fortis optet praemium quod uolet.

Si leges tractare placet, ueniatur ad illas:
Accipiat quodcunque uelit uir fortis et optet.
Hoc cupit et pauper, pro uoto diuitis instat,
Ut maneat lex lata rogat. uenialis imago
Aut ualet aut certe simulacrum lege perempta.
Interea non aera micent, non marmora surgant,
Nec sub lege pia fortis noua praemia quaerat
Quae damnat mox sponte sua. non submouet unquam
Legis cauta furor quam dant pro laude triumphi.

205 *corruptelae signum praefixum, spatium nullum relictum est* 208 dominator *corruptelae nota uersui praeposita est* | Lybiae 216 lice 220 parentes 223 duraut 225 uolet *corr. ex* uelit 228 lege *in rasura* 229 surgunt 232 *corruptelae nota uersui praefixa* | Legis

Instar habent hostes quos sanctio nulla coercet,
Condemnat solus ciuilia iura tyrannus.
Nonne triumphantis legem si forte superbus
Temneret aut parui pendens quicunque putaret,
Sacrilegus temerator iners inimicus et hostis
Publicus ille foret, legum secreta tribunal
Iam quateret strepitu iuuenis, fora nostra creparent,
Ipse cicatrices subducta fronte recentes
Pectoris effossi populo monstraret et urbi
'Uirtutis laesae grauis est iniuria Marti'
Clamaret per templa Iouis per templa Mineruae,
'Nemo aciem subeat, nullus prorumpat in hostem'
Diceret, infremerent omnes uno agmine ciues?
Pauperis, o proceres, languentia colla sinetis
Carnificis truncare manum? non arma tubasque
Tollitis et saltem ciuilia bella mouetis?
[p. 19] Quid plebs nostra taces? diues praeiudicat urbi
Et pariter tua iura negat, praescriptio surgit
Quae populo uitam libertatemque negabit.
Non gemitis, non fletis adhuc, non arma paratis?
Laudis erit fateor pro libertate perire:
Nam pro Uerginia cum plebs arderet in ira
Montis Auentini tenuit Romana cacumen,
Cum pater egregiam prostrauit morte puellam
Impietate pius, ne Claudius esset adulter.
Nec populus liber capto de monte rediret,
Plebs nisi sumpsisset cum libertate triumphum.

Epilogi. Uidimus, o ciues, fugientis pauperis ora
Cum manibus quaesisset opem sine uoce rogantis.
Diximus: hostis adest. ueniat uir fortis et adsit
Cuius inops simulacra tenet, cui crura lacertis
Cinxit et ad plantas prostratus plangit egenus
Belligerum ceu numen habens. dum pronus adhaeret,

233 *conicias* Iusta pauent | hostis 242 martis 243 clamare 245 Dicerent 247 manu 250 necat *cf.* VII 144 *Buech.* 254 uergenia *in margine praefixa est nota* ℞

Diuitis optata praesentia turbida rostris
Adparet. conclamat inops: succurrite ciues,
Ciuis adest uiolentus atrox mea fata requirens
Quem nihil offendi nisi quod sum pauper honestus.
Ecce triumphalis, metuendum, dextera, ferrum
Id quod in hostiles iugulos ex urbe tulisti,
In patria reuocare uelis? ne uiscera matris
Transadigas gladio, laceres ne membra parentis
Quae te palmiferis docuit concurrere telis.
Parce precor, ferrata manus, ciuilia colla
Ne ferias quae mucro tuus defendit ab hoste.
Sit pudor atque nefas extinguere proelia campo
Et mortes transferre foro. lamenta minora [p. 20]
Credimus auditu, dolor est spectare cadentem,
Funera siue oculis uiuum uidisse cadauer
Cum gemit et moriens tremibundos palpitat artus.
Mugitus quos ille dabit per moenia pauper,
Cum uulgo spectante cadet, cum membra cruore
Perfundat moribunda, solo cum mordet arenam.
Anguibus implicitum credas Laoconta gementem.
Sic decet ut fortis lassos ut diues egentes,
Ciues ciuis ames, aut sic defenditur insons?
Si uocem simulacra darent, tua signa rogarent
Et dolor ista daret deflendis uerba querelis:
'Dic iuuenis diues, patriae dic fortis amator,
Si pauper reus est, tua quid peccauit imago
Uirtutis monumenta tuae, quid testis honorum
Temnitur et patriae foedantur moenia nostrae?'
Haec simulacrorum uox est, patriaeque gementis
Audi uerba tuae 'merito te laeta creaui,
Infantem gremio tenui, simul ubera paruo
Urbs mater tremibunda dedi cunabula praestans,
Quem praetextatum iaculis proludere iussi,
Impubes iam fortis eras, inuictus adultus
Et iuuenis uictor. sed ne fraudatus abires

268 *an* diues *scribendum?* 274 concurre 280 sine
286 lassos fortis 288 rogassent

Fortunae quocunque bono, largitur honores,
Diuitias confert, tribuit per bella triumphos.
Et pro tot meritis instas orbare parentem
Pignore percusso cui nil fortuna bonorum
Contulit iniusto pensans moderamine fatum?
Si ratio te nulla mouet, si mente cruenta
[p. 21] Humana pietate cares, imitare leones
Quos feritas generosa iuuat: superba temnentes
Ingruere fremitusque dare procul ore cruento
Nobilis ira solet, subiectis parcere gaudent
Et praedam rabies contempsit fulua iacentem.
Gramina non tangunt, feriunt sed fulmina quercus.
Nunquam taurus iners lassa ceruice Tonanti
Uictima fessa datur, sed iam quis grandia surgunt
Ingentes per colla tori, quos fronte superba
Pascua cornigeros armant in bella iuuencos.
Hostia uictorem funestat languida pauper
Si mactatus erit, sed sint tua sacra coronae,
Sint hederae lauri quercus et palma triumphi,
Sint clipei galeae contus lorica trophaeum.
Accipe tura potens deus ut Tirynthius aris
Et Ledae partus magnus cum Castore Pollux
Semidei post fata uigent: his quartus adesto
Uirtutis ratione fide pietate uigore
Possessure polos, scandens qua lacteus axis
Uertitur, aetherii qua se dat circulus orbis
Lunarisque globus qua uoluitur axe tepenti
Aut certe qua Phoebus agit super astra iugales,
Sidera sic capies, poteris sic astra mereri.'

304 nihil 305 censens *corr. Buech.* 306 fouet *corr. Buech.* 308 *uersui praefixa est corruptelae nota.* iuuat] *Buech. uoluit* iubet *sequentibus subiunctis. Buech. proposuit* super arma tenentes 315 quis *corr. Buech.* 316 armat *corruptelae nota uersui praefixa est* 317 funesta *corr. Buech.* 318 coronae *corr. ex* corunae 321 Tirinthius 322 Et Ledae] Tedi *corr. Buech. uersui corruptelae nota praefixa est* 323 quintus *corruptelae signo notatum corr. Buech.* 326 sedat *malis* tendit *uel simile quid* 328 quae 329 posteris sic castra

Exp. Controuersia statuae uiri fortis quam dixit in Gargilianis thermis Blossius Emilius Dracontius vir clarissimus et togatus fori proconsulis almae Karthaginis apud proconsulem Pacidegium.

VI. Epithalamium.

[p. 22]

Egregii iuuenes *et* gloria summa parentum,
Foedus amicitiae, solamen grande clientum,
Dulcia cantatis dum uotis carmina uestris,
Facundos uos fecit amor. Uenus alma, potestas
Delphica, flammipotens inclusit templa Cupido.
Tempora iam lauro uel myrto cingite frontes
Et uiolis ornate comas, dent alba coronas
Lilia mixta rosis, candor pallorque ruborque
Crinibus insidat qui uernat in ore puellis,
Floribus ambrosiis sponsalia serta ligentur.
Saltet Apollineum Musis cantantibus agmen,
Laurea serta comis imponat pulchra Dione,
Pallados armisonae crinem praecingat oliua,
Arma ferat Martis quibus et proludere nostis
Et bellum si tempus eget perferre ualetis.
Interius uos Musa Uenus Phoebusque Cupido
Et Bromius possedit Hymen, Mars saltat amores
Et Uenerem placare cupit, cui militat omnis
Marcidus et nudis ludit post arma lacertis,
Ac furibundus Amor Ueneris per castra triumphat,
In praedam uenere dei uincente Dione.
Ergo Uenus te docta uoco facunda perita,
Per sensus te funde meos. tua gaudia feruent,
Sponte uenire decet, non te decet ire rogatam.

in subscriptione Gurgulianis *cf. indicem* | armae Karthaginis | *fort. scribendum* Pacideium | 1 *ante uersum corruptelae nota conspicitur. spatium relictum est* 5 inausit *corr. Buech. an* inuasit? 13 amisonae crimen *corruptelae nota uersui praefixa est* 22 duco (o *in rasura*) *corr. Buech.* 24 rogatum *corr. Buech.*

Sufficiant tibi uota Uenus: praecordia dura
Mollis adire soles, nolentibus ire per artus
Et mentes intrare senum uenasque leuare
Ignibus et gelidas calidis reparare fauillas,
Ut ueteranus amet senior ceu nuper adultus.
[p. 23] Non ego lasciuos opto mihi crescere sensus,
Sed precor aspergant nostrum tua carmina pectus
Ut ualeam cantare tuos per uota triumphos
Et mixtis saltare choris, cantare choreas.
Publica magnifice per moenia uota gerantur:
Quas dedit una domus, domus excipit una sorores,
Quorum umbone tegor uel quorum munere uiuo.
Post uarios casus post tot discrimina uitae
Porrexere piam placido pro tegmine dextram
Et quod maius erat, laesi tribuere salutem
Fortunamque mihi reducem pietate nouarunt.
Quisquis adest sapiens scholasticus atque peritus
Accurrit laudare uolens cantare paratus:
Quin ego festinem laudes et carmina ferre
Pro meritis animisque uirum? puer alme Cupido,
Ignea progenies et rerum perpes origo,
Huc ades armatus fluidis post terga pharetris,
Inbue pinnatis precor oscula blanda sagittis,
Morsibus alternis ut lambens lingua palatum
Tergat et udentur suspensis dentibus ora.
Sponsa maritales cognoscat utra uapores
Et sponso sic iungat amor quasi corpore in uno
Brachia uirgineis adnectens stricta lacertis.
Has matronali societ de more cateruae
Blanditus sub fraude dolor sub uulnere casto
Seruatumque diu rapiat hac nocte pudorem
Et poenae sit merces amor, pia pignora, nati.

42 *post* uolens *scriptum est* et carmina ferre *sed expunctum* 43 *in initio uersus scriptum est* Pro meritis animisque uirum | quanto ego festine *corr. Buech.* 47 Indue *corr. Buech.* 50 utra] *latere uidetur* pura *an* uirgo? 51 uingat 55 rapiant ac *corr. Buech.*

Uix ea fatus eram, subito uenit aliger ignis,
Ore micans ac fronte minax et crine coruscans
Impubes lasciuus erat cui castra uoluptas.
Ibat in obsequium risus, complexibus haerens [p 24]
Iusta libido coit uenit et moderata uoluptas,
Candida legitimas accendens gratia taedas
Occurrit, uenit alma fides petulantia simplex,
Casta pudicitia procedit mente quieta,
Sobrietas per cuncta uigil deuota cucurrit
Et quidquid iustos solite comitatur amores.
Liber pampineis ornatus fronte corymbis
Intrat et uuiferos uibrat super agmina thyrsos,
Pan calamis perflare melos Bacchaeque rotari
Sileno saltante placent populosque mouere
In fescenninos fremitus et gaudia mentis.
Adfuit interea Cypris subuecta columbis,
Apparet de parte poli qua flammeus axis
Uoluitur australis conlustrans cardinis oras:
Florea purpureas retinebant frena columbas
Et rosa blandifluas rutilans nectebat abenas,
Lilia sunt inserta rosis, iuga pulchra uolucrum
Uerbere purpureo Cypris iubet ire, iugalis
Remigat ammotis pinnarum plausibus ales.
Moenia respexit Carthaginis alma Cythere:
'Illo' dixit 'aues conuertite mando uolatus,
Uictoris soboles felici sorte iugantur,
Illic pura fides illic prudentia simplex,
Coniugis in gremio pietas, sine fraude uoluntas,
Non ibi liuor edax, non est elata potestas
Priuato sub more gerens sua iura modeste
Quae mercede sua multos coniunxit egentes,
Haec inopes dotare solet uel pascere egenos
Legibus et nostris nudas uestire puellas.'

60 amplexibus *corr. Buech.* 62 accedens 67 corimbis 68 tyrsos 69 potari *corr. Buech.* 70 placent] *corruptum. conicias* parant 78 iugales *corr. Buech.* 80 Cytherę 81 conuertite *repetitum sed expunctum est* 87 Qui *corr. Buech.*

Dixerat haec Cytherea parens: iam tecta subibant
[p. 25] Idaliae uolucres, occurrunt gaudia cuncta
Obsequium latura deae. tamen ore modesto
Anxia sola procul thalamo florente relicto
Uirginitas pudibunda fugit gratumque pauescens
Fletibus ora rigat: quae non reditura recedit.
At Uenus attingens urbem petit antra mariti
Neptunique domos intrauit Maximianas:
Illic turba fremit matrum iuuenumque pudica
Et matronali sponsas cinxere corona.
Pompa cateruarum felix uotiua canebat,
Progenies crementa domus Uictoris honesta
Suscipit et nuribus natos iunxere parentes.
Uictorianus enim et Rufinianus
Lege maritali ueniunt sub iura Dionae.
Tunc Uenus ad sponsas intrans hac uoce profatur:
'Crescite fecundis gaudentes lusibus ambae,
Nocte tamen properante uiris certate modeste,
Sed hoc certamen modico certamine constet:
Acrior est puer ille meus dum temnitur et plus
Urit amoriferis certantia membra sagittis.'
Dixerat et puerum genetrix implere pharetras
Imperat. ille libens imbutas melle sagittas
Misit et ambarum sensus transfixit arundo,
Corda ferit iuuenum ueniens et pectora fratrum,
Quorum uota sonant. longa est lux ipsa diei
Et cupiunt transire diem, succedere noctem
Exoptant paribus uotis spatiumque morarum
Lucis adoptatae transire in tempora noctis.
Pergitur ad thalamos, conuiuia laeta celebrant,
Agmina saltantum miscentur lusibus aptis.
[p. 26] Pignora pulchra micent et talia uota celebrent
Floribus et uestris crescat generata propago.

99 matronaliṣ 103 *uersui praefixum est* ℞. *fort. legendum* Uictorinianus *cf. A L Riesii* 254 *aut addendum in fine tale* amantes 108 *hunc uersum uel Dracontio indignum Buech. subleuandum censet coniciendo* conamine 109 Atrior 111 Dixit *fort.* Dixit sed (*Buech.*) 112 sagaci *corr. Buech.* 117 spacium

Exp. Epithalamium in fratribus dictum.

VII. Epithalamium Ioannis et Uitulae.

Carminis Idalii cuperem nunc ebrius esse
Nobilium thalamis Fabiani sanguinis index.
Quod mihi si felix hodie fortuna dedisset,
Non inhonorus eram sed laude redemptus abirem,
Uer recreatus agens si non tamen ipse renatus,
Emerito referens generosas auspice laudes,
Et Uitulae canerem taedas per uota Ioannis
Laurea serta comis religans et tempora myrto.
Prodere gestirem haec quae nunc per uota geruntur.
Cantarem quia Cypris adest bona mater amorum,
Agmine mollifluo ducens sua pompa choreas,
Impubes lasciuus atrox uiolentus amoenus,
Lis pacis tacitusque loquax, fur garrulus audax,
Nudus et armatus, ferus et pius, improbus insons,
Et quod amoriferum, secum hunc duxisse uolucrem.
Uulgarem quia tela gerit quibus auctor Achillis
Arserat Aeacides Nymphae radiatus amore,
Spicula dixissem quibus arsit Apollo disertus
Cum peteret Daphnen, Liber quibus arserat Indus
Candida Dictaeae cum cerneret ora puellae,
Uel quibus ipse furor Mars est accensus amore
Uesticolae niueos peteret cum uirginis artus,
Ut daret aeternum Romana in saecla Quirinum
Et post fata deos faceret super astra senatum.
Sed quia captiuo fas non est dicere carmen [p. 27]
Nec reticere licet festiuo in tempore uati,
Ista canant pueri qui carmine uera loquentur,
Plausibus insultent et tympana rauca puellae
Percutiant palmis, digitis sub arundine uentos

3 foelix 5 Uere creatus | sed non *corr. Buech.* *post* 8 *fortasse periit uersus* 11 sua *corruptum uidetur* 15 Telaque *temptauit Buech.* | dixisse 17 Asserit | eacides 19 Daphnem 20 Dicteae | cernerat 21 amare 27 quia *corr. Buech.* 29 uentus *corr. Buech.*

Dispensent hinc inde melos perflante flabello
Et quatiant dulces Museo pectine chordas,
Et uocis textura sonet neruique loquaces.
Bybliades Satyris iungant Nymphisque Hymenaeos
Et Dryades passim coeant per prata Napaeis,
Oreadas Faunis iungant et Naidas amnes
Et Bacchis copletur Amor per castra Dionae,
Saltet et imparibus calamis Pan corniger intrans,
Ebrius interea nutet Silenus asello,
Oscula nectantur calamis imbuta rosatis
Et neruo cantante sonet noua murmura lingua,
Morsibus alternis suspenso dente fruantur,
Gratia uernantes adnectat pulchra dolores,
Casta Pudicitia stricto placitura marito
Floribus ex uariis texat per prata coronas
Lilia mixta rosis socians uiolasque hyacinthis,
Purpuret et niteat gemmae pallente rubore
Sardoasque iuget poclis Sitifensibus herbis.
Sic puer Idalius permiscet mella uenenis,
Sic rosa miscetur spinis, medicina cerastis
Perficitur stimulisque fauos apis alma tuetur:
Sic pia uirginitas non tollitur ante pudoris
Unguibus infensis quam uulnerat ora mariti,
[p. 28] Et prior ante sui uindex est ipsa cruoris,
Ut discat sacras fecundo uulnere flammas.
Sic fiunt dulces modo pignora blanda parentes,
Et genus humanum sic stat sub lege perenni.
Tot bona proueniant sponsis quot dextra parentum

30 *caue scribas* labello. *uide indicem* 31 cordas 33 Bibliades 34 cohibent 35 omnes *corr. Buech.* 36 copuletur *cf. d. deo* I 407 *cum Areuali nota* 38 interea] *latere uidetur loci significatio quo nefas est prodire ebriis et asellis.* interea *est inter eos* (*Buech.*) 40 candente *quod scripsi Buech. proposuit* 45 socians] n *litera atramento obducta est* | hiacyntis 47 iubet posculis siti fensibus *supra* cul *et* fens *literas et ante uersum corruptelae notae positae sunt* 48 bella *corr. Buech.* 49 cerastis *corr. ex* ceratijs 54 discat] ducat *Buech. proposuit*

Iungit amoriferis per festa iugalia palmis,
Cana fides pietasque iugent et casta uoluptas,
Brachia constringant celeres uisura nepotes,
Pronuba Iuno uenit fecunda sorte maritans
Lanigera comitante dea per uota Minerua,
Concordesque simul celebrent pia sacra Dionae.
Ista canant iuuenes, hoc cantent carmen adultae
Et simplex aetas pueri teneraeque puellae,
Cantitet hoc ueteranus amor, reuerenda senectus
Cantet: amator erit qui non cantarit amores,
Nescit enim senibus ueniam donare Cupido.
Ast ego qui nequeo captus mea plectra mouere
Carmine sollicito, dederant quia carmina clades,
Et modo sic positus Cythereae cantibus absens
Sollicitus pauidus temerarius anxius audax,
Ut uacat expositis post proelia miles ab armis
Saucius atque gemens quo languida uulnera curet:
Classica si subitis feriant clangoribus aures,
It dolor, ira redit, ceu iam sit plaga cicatrix,
Redditur et saniem sistit furor arma reposcens,
Fit medicina furor, furor est uox tessera Martis
Et dare iam membris dicit tuba rauca salutem.
Aut uelut acer equus circi iuga ferre dicatus,
Orbita cornipedo sequitur quem ducta uolatu, [p. 29]
Si fretus propria leuitate fauoris alumnus
Plus eat in frenos et concitus axe sonoro
Pulueris in nubem radiatis orbibus actas
Accipiat post crura rotas et corruat ictus,
Mox studium calor omnis abit plangente dolore
Aduersa plaudente manu stabulisque refertur:
Hinnitus si forte sonent strepitusque rotarum

59 iungent 61 secunda *corr. Buech.* 63 Dione 66 Cantilet *corr. Buech.* 69 neque hoc aptus *corr. Buech.* | plecta 71 cytherea 72 tabidus 73 Et uacat 75 si] his *corr. Buech.* 77 Reditur *corr. Buech.* 78 tessara 79 discit *corr. Buech.* 82 uoluntate *corr. Bucch.* 84 radiatus 85 cornua *supra* ictus *uerbi literas nouissimas corruptelae signum, in fine uersus* ℞ *positum est* 86 dolor omnis habet *corr. Buech.* 87 Aduerso

Et fauor excussus caueis circensibus ingens,
Eleuat elisum directis auribus audax
Erecta ceruice caput tremibundus et artus
Pensat nec stabulum fessis hinnitibus implet,
Iam qua stat pluitur tellus sudore furoris,
Uulnera despiciens absentibus ora lupatis
Ingerit et uacuos dat post praesentia cursus.
Aut auis insidiis curuato uimine clausa,
Quae cantu mulcere solet sub uoce canora
Arboreum per cuncta nemus durosque labores
Agricolum, silet intus habens captiua dolorem
Libertatis amans auras nemorumque cacumen
Et tacet omne melos retinens sub uoce silenti:
Altera si resonet modulatis cantibus ales,
Ingenuos dat capta sonos quasi libera, uernans
Ut credatur auis ramo cecinisse uirenti,
Illa tamen querulas miscet male garrula uoces.
Sic ego captiuus tot festis plausibus actus
Carmina pauca feram delectis ipse duobus
Ex genere amborum qui me modulante canentur:
[p. 30] Pontifices sacri Statulenius Octauianus
Moribus innocuis, sancta pietate modesti,
Religione pii castis altaribus apti,
Quorum cana fides per sacra Palatia pollens
Floruit, unus erat Latialis mysticus aulae,
Alter apud Danaos sacrata mente dicatus:
Quorum sanguis adest, quos omina fausta iuuabunt.
Ex hac progenie iunctis et gente togata
Coniugio tali speremus numina nasci.
Nam mihi quo teneor non est dolor alter acerbus
Quam quod apud tales obliuio longa moratur
Nominis inclusi. sed si me claustra fatigant

101 reticens *corr. Buech.* 107 ipe 109 Optauianus *nisi praestat* Optatianus 110 *inde ab hoc uersu nostri numeri cum eis quos in libro adscriptos uides non congruunt, cum miro scribae lapsu factum sit ut* 120 *numerum huic uersui praeponeret* 112 Pallatia 113 misticus 115 omnia *corr. Buech.* 116 togati *corr. Buech.* 118 quod teneor non dolor alter aceruus

Temporis immodici, nec uos impune tacetis.
Poena est non leuior uobis quatiente pudore,
Quod licet exiguum tamen inter iura poetam
Temnitis immemores facunda mente periti.
Quid prodest seruasse hominem post tanta pericla
Et clausum liquisse diu sub clade salutis?
Non male peccaui nec rex iratus inique est,
Sed mala mens hominis quae detulit ore maligno
Et male suggessit tunc et mea facta grauauit.
Poscere quem ueniam decuit, male suscitat iras
Et dominum regemque pium saeuire coegit.
Nam deus omnipotens compungit corda regentis
Quando iubet pietate sua ueniamque relaxat.
At cum liber ero domino ignoscente reductus,
Dum tacet os uestrum nec nos sermone iuuatis,
Nomina uestra reor praeconia nulla manebunt.
Sed ne maesta canens concludat carmen amoris, [p. 31]
Post haec uota parens quid sit factura Dione,
Murmuret os tacitum, Carales cum coeperit iri:
Aeolias petet illa domos aditura tyrannum
Ut frenet uentos et caerula marmora tendat,
Mollior aura means tantum bona flumina mittat,
Ut ratis incolumis Sardorum littora tangat.
Nec negat haec Eolus Ueneri sua iura roganti.
Cypris in ornatu ueniens freta glauca uagatur,
Cum pelagi Nymphis ibunt Tritonis alumni
Nereidum spumante choro Phorcique clientes
Gurgitis aequorei pisces immania cete
Et quaecumque latens surget de fluctibus imis
Belua terribilis summas gestire per undas,
Inter quas delphine sedens Galatea minaci
Neptunum perfundet aquis rorante fluento,
Ille caput barbamque ciet ridente Dione.

122 *spatium non relictum. suppleuit Buech.* 129 fata 132 compunget *corr. Buech.* 137 nec 142 mictat 146 Tritones *corr. Buech.* 148 caetę 149 At | surgit *corr. Buech.* 150 Bella 151 delfine 153 ciet *quasi corru ptelae signo notatum*

At uolucer Ueneris uolitans super aequora pinnis
Iam spargens sub fraude rosas tamen igne sagittas
Mandat ad aequoreos comites et frigida ponti
Aequora flammat atrox, elementa ut uota celebrent.
Haec dixisse sat est: sed qui modo iure tacemus,
Omnia reddemus quandoque nepotibus almis.

Exp. Epithalamium
Ioannis et
Uitulae.

[p. 37]

VIII. Dracontii opus de raptu Helenae.

Troiani praedonis iter raptumque Lacaenae
Et pastorale scelerati pectoris ausum
Aggrediar meliore uia. nam prodimus hostem
Hospitis et thalami populantem iura mariti
Foedera coniugii consortia blanda pudoris
Materiem generis sobolis spem pignora prolis:
Nam totum de matre uenit, de matre creatur
Quo membratur homo, pater est fons auctor origo,
Sed nihil est *sine* matre pater. quota portio patris
Omnis constat homo: mater fit tota propago.
Ergo nefas Paridis quod raptor gessit adulter
Ut monitus narrare queam, tu grandis Homere
Mollia blandifluo defundas uerba palato.
Quisquis in Aonio descendit fonte poeta
Te numen uult esse suum, nec dico Camenae
Te praesente 'ueni'. sat erit mihi sensus Homeri
Qui post fata uiget, qui duxit ad arma Pelasgos

secuntur uacuae paginae quinque, deinde raptus Helenae p. 37—64 *alio ac magis nigro atramento chartae minus albae inscriptus sed eadem ut uidetur manu Literis IM eas notaui coniecturas scitu dignas quas adhibitas uides in editione raptus Helenae Romana omnes fere Iannellianas, eis uero quas in musei rhenani uolumine* XXVII *p.* 477 *Buecheler proposuit lectionibus literas adieci m. rh.* 158 quae *proposuit Buech.* 1 laceae 8 Quod 12 te *corr. IM* 13 delimas *cedet* defundas *inuento meliori*

Pergama Dardanidum uindex in bella lacessens:
Et qui Troianos inuasit nocte poeta
Armatos dum clausit equo, qui moenia Troiae
Perculit et Priamum Pyrrho feriente necauit:
Numina uestra uocans quidquid contempsit uterque
Scribere Musagenes, hoc uilis colligo uates.
Reliquias praedae uulpes sperare leonum
Laudis habent, meruisse cibos quos pasta recusant
Uiscera quos rabies iam non ieiuna remisit,
Exultant praedamque putant nuda ossa ferentes.
Attica uox te, sancte, fouet, te lingua Latina
Commendat: uulgate precor quae causa nocentem
Fecit Alexandrum, raptu ut spoliaret Amyclas.
Caelicolum pastor iam sederat arbiter Ida, [p. 38]
Iam gremium caespes, iam surgens herbida tellus
Stabat et aetherium fuerant herbosa tribunal.
Soluerat Iliacus caeli uadimonia pastor
Et litem facit ipse suam, laudata recedit
Contempta Iunone Uenus, tunc uirgo decora
Uicta dolet, nam tristis abit: heu nescia mens est
Quae mala circumstent ausum dare iura Mineruae.
Iudicis Idaei pretio sententia fertur
Damnaturque Paris. nec solus pastor habetur
Ex hac lite reus: damnantur morte parentes,
Damnantur fratres et quisquis in urbe propinquus
Aut cognatus erat, cunctos mors explicat una.
*Troi*aque *ut* infelix urbs tantum morte periret,
Damnantur gentes, damnatur Graecia sollers
Heu magnis uiduanda uiris, orbatur et Eos
Memnone belligero, damnatur Thessalus heros
Et Telamone satus, pereunt duo fulmina belli,

20 Armato *corr. Buech. m. rh* 23 collego 30 raptu spoliare 31 praetor *corr. Buech.* | Idem *corr. Buech.* Idae *IM* 34 Iliacas *corr. IM* 36 decora] *fort. corruptum* 37 abijt 42 in morte 43 implicat *IM* 44 Aq; Troi *suppleuit Buech.* (Troia *in margine ascriptum*) *spatium non relictum* | infoelix | tanta *Buech. proposuit* | perriet *corr. IM* 46 eous. et eos *IM*

Pro matris thalamo poenas dependit Achilles.
Unde haec causa fuit? forsan Telamonius Aiax
Sternitur inuictus quod mater reddita non est
Hesione Priamo: sic est data causa rapinae.
Cur gentes cecidere simul, cur sexus uterque
Concidit, infanti nullus post bella pepercit?
Sic dolor exsurgit diuum, sic ira polorum
Saeuit et errantes talis uindicta coercet?
Compellunt audere uirum fata, impia fata
Quae flecti quandoque negant, quibus obuia numquam
Res quaecumque uenit, quis semita nulla tenetur
Obuia dum ueniunt, quibus omnia clausa patescunt.
[p. 39] Iam grex horretur, fontes casa pascua siluae
Flumina rura pigent nec fistula dulcis amatur,
Non placet Oenone sed iam prope turpis habetur
Ex quo pulchra Uenus talem promisit in Ida
Qualis nuda fuit: talem iam pastor anhelat.
Sordent arua uiro post iurgia tanta dearum,
Pergama sola placent, et moenia quaerere Troiae
Mens et fata iubent. monitus Paris omnia norat
Blandita nutrice puer, quo sanguine cretus,
Qui genus, unde domus, rapiensque crepundia pastor
Troianum carpebat iter. uix uiderat arcem
Lassus, et intactae procumbunt culmina turris
Ingemit et tellus, muri pars certa repente
Concidit et Scaeae iacuerunt limina portae,
Tunc Simois siccauit aquas, crystallina Xanthi
Fluminis unda rubet, sudat pastore propinquo
Palladium uel sponte cadunt simulacra Mineruae.
Forte dies sollemnis erat quo Pergama rector

49 depondit *corr. IM* 52 Esto ne *corr. IM* 53 cum sexus *corr. IM* 54 perpepercit 56 coercit *ut uidetur corr. ex* coercot *corr. IM* 59 tuetur *Buech. m. rh.* 62 armatur *corr. IM* 63 oenones iam prope. quae iam *posuerunt IM* 66 urigia *ex* uregia *uidetur correctum corr. IM* 70 Quod genus *IM* 73 certa] *malis quo locus aliquis significetur nomen proprium* 74 lumina *corr. IM* 75 cristallina xanti 78 solemnis *ex* sollemnis *rasura mutatum*

Infelix Priamus post Herculis arma nouarat:
Annua persoluens ingratis munera diuis
Laomedontiades capitolia celsa petebat
Reddere uota Ioui, laturus sacra Mineruae.
Ad dextram genitoris erat fortissimus Hector,
Troilus ad laeuam pauido comitante Polite, [p. 40]
Cetera natorum turba stipatus abibat.
Reginam interea natarum turba coronat
Et nuribus comitata uenit pia uota ministrans.
Rex Helenum sequitur, Cassandrae mater adhaeret.
Dum pergunt et templa petunt, prorumpit in agmen
Pastor et attonitos elata uoce salutat:
'Sis felix princeps, omnes saluete sodales
Aut fratres ut uera feram. tu fortior Hector
Culmen et urbis apex, et uiribus indolis almae
Troile, frater ego. fratrem cognoscite uestrum.
Germanus sum uester ego Priamique propago,
Hecuba mi genitrix, abdicor crimine nullo
Paruus Alexander pastor nutritus in Ida.
Nec pastor sit uile, Phryges, ego iurgia diuum
Compressi, nam lite caret me iudice caelum.
Si credis germana manus, nec cetera regis
Conscia corda negant nec mater pignus abhorret:
Noscite depositi uel certa crepundia fratris.'
Dixerat et testes generis proiecit in arce.
Uera fides pietas quatiunt mox corda parentum
Admissumque nefas generosa mente fatetur
Fusus in ora rubor. Paridis mox colla lacertis
Adligat et natum fletu gaudentis inundat [p. 41]
Conuictusque pater ueniam de prole rogabat.
Obstupuere omnes. mater gauisa recurrit,

79 Infoelix | nouerat *corr. Buech. m. rh.* 81 Laumedontiades 83 dextram *corr. ex* detr- 85 Caetera *Buech. proposuit* Et rex 91 foelix Princepes *corr. IM* 93 et uiribus indolis almę *corruptum. latere uidetur tale* et tu lux 94 cognioscite 96 Ecuba 97 nutritur 102 fratres *corr. Buech. m. rh.* 104 mors *corr. IM* 106 pallidis *corr. IM* 108 negabat *corr. IM*

Dat celeres pietas gressus quos denegat aetas,
Mox iuuenem complexa tenet per colla per ora.
Oscula diffundunt et lambere membra parentes
Insistunt iuuenis certatim, sed pius ardor
Adfectus dispensat agens, alternat utrique
Et uicibus cara Paridis ceruice fruuntur.
Nuntius interea totam compleuerat urbem
Fama uolat per templa deum, quod pastor ab Ida
Se uelut ostendit regni de stirpe creatum.
Tunc Helenus uates templum dimisit et aram
Et procul exclamat: ‘pater impie, pessima mater,
Quid pietas crudelis agit, quid perditis urbem?
Haec est illa tuo fax, mater, prodita somno
Quae simul incendet Troiam regnumque parentum
In sortem dabit illa nurus. coniurat in arma
Graecia tota dolens raptum punire Lacaenae,
Litora nostra petent Danai cum mille carinis,
Dorica castra fremunt, iam Pergama uexat Achilles,
Iam pugnant Danai, iam cernimus Hectora tractum,
Troile iam per bella furis, iam sterneris audax
[p. 42] Ante annos, animose puer, uirtute proteruus.
Sed quid fata ueto, quid fixos arceo casus,
Cum nihil aduersis prosit prudentia signis?
Me Fortuna potens et Pyrrhus ingens exspectat.’
Dum loquitur, Cassandra uenit furibunda sacerdos
Et matrem complexa canit: ‘quid mater iniqua
Quid pater infelix quid funera nostra paratis?
Immemor heu pietas, uni pia mater haberis
Pastoremque foues sed multis impia constas
Regibus, Hectoreum supplex emptura cadauer
Per montes per saxa datum: nec uenditur Hector

110 *cf. Orest.* 670 112 parentis *corr. Buech. m. rh.* 113 iuuenes *corr. Buech. m. rh.* 114 agnes acres *et* utrimque *IM,* auens *Buech. m. rh.* 118 uelit *corr. Buech.* uelit ostendi *IM* 125 uolens *proposuit Buech.* 128 Iam *corr. uidetur ex* tam 130 animos et puer uirtute 133 exspectat Pyrrhus et ingens *IM at desideratur* Me exspectat F p et regia Pyrrhi (*Buech.*) 136 infoelix

Integer et lacerum rediet pro pignore corpus
Funeris Hectorei pretio maiore redemptum.
Me stuprum per templa manet, me pessimus Aiax
Inuadet pereunte domo: iam Troia crematur,
Sed flammis rex ipse cares, iamque Hecuba latrat,
Astyanax Danais muro iactatur ab alto.
Sic praestat Bellona nurum, gener ipse Tonantis
Idaeus sic pastor erit, capietque triumphum
Sed post ipse cadet. ueniet mox Pyrrhus ad arma
Qui scindat muros, qui damnet Pergama flammis,
Qui Priamum gladio feruens obtruncet ad aras.
Sed quid uana cano? iam consocer esse Tonantis
Uult genitor patriamque premit natosque nefandus [p. 43]
Odit et Andromachen quaerit uiduare marito.
Troile quid cessas? quid parcis fortior Hector?
Uos repetunt mortes, in uos mala fata feruntur,
Uos petit Aeacides, saeuum uos fulmen Achilles
Amputat, insontes poenam raptoris habetis.
Prouida non credor: uos saltem surgite ciues,
Rumpite complexus quos dant per colla parentes
Infausto iuueni, muris depellite fratrem:
Hic hostis quem fata canunt, qui mortibus urbem
Congeret et Priamum faciet non esse sepultum.
Pectore Cisseo rapiatur pignus acerbum
Macteturque nefas et Pergama nostra pientur,
Placetur Iuno, placetur uirgo Minerua,
Sacrilegi de morte Iouem placate tonantem
Cuius postponens Uulcani laudat amorem.
Urbibus in multis mos est donare salutem
Mortibus insontum, sed uos mactate nocentem
Ut liceat seruare pios. augere dolores
Ut releuet medicina solet membrisque salutem

141 retinet *corr. Buech. m. rh.* 145 ecuba 146 Astianax 147 perestat *corr. IM* 148 *malis* rapietque 152 qui *corr. IM* | esset *corr. IM* 153 Uulti 154 Obit *corr. IM* 162 *suppleuit Buech. m. rh.* 166 Placitur Iuno *corr. IM* 167 placete *corr. Buech.* 169 donare *corruptum uidetur* 172 resecet *corr. Buech. m. rh.*

Membrorum de parte dabit, nam corporis aegri
Fit iactura salus et uires passio praestat
Quas auferre solet. hoc *uos* adsumite fratres,
[p. 44] Hoc ciues audite mei, laudate parentes,
Dicite pastorem gladio pietatis obire:
Fraterno mucrone cadat. si forte profanus
Hunc feriet quicunque reum, sit in urbe sacerdos,
Cedo loco si forte meo pius esse recusat.
Pontifices Helenus Laocon sacrata potestas
Cedent oranti quia mysticus extat uterque'.
Dum canit infelix gemitus Cassandra futuros,
Uisus adest cunctis Phrygibus Thymbraeus Apollo
Qui mercede carens conclusit Pergama muro
Et genus ingratum poenas persoluat auari
Exoptat. stupuere Phryges, tacet ipsa sacerdos:
Effatur: 'quid uirgo canit? cur inuidus alter'
Exclamat 'Helenus deterret Pergama uerbis?
Pellere pastorem patriis de sedibus umquam
Fata uetant quae magna parant. stant iussa deorum,
Magnanimum Aeacidem solus prosternet Achillem.
Troianos regnare placet qua solis abenae
Ostendunt tolluntque diem, qua uertitur axis
Frigidus et zona flammatur sole corusco.
Troianis dabitur totus possessio mundus
Tempore nec paruo Troum regnabit origo.
Fata manent conscripta semel. sunt uerba Tonantis,
[p. 45] Imperium sine fine dabit. cohibete furorem.
Mortali diuum periet quo iudice iudex?
Nec hoc fata sinunt. pudor est uoluisse nocere
Et non posse tamen pigeat. iam nemo minetur,

174 solus *corr. IM* 175 solet hoc ad sumite *sed* ad *linea obducta deleta uidetur.* uos hoc *IM* 178 profamus *corr. IM* 180 recucasat *sensui parum aptum uidetur quod restituerunt IM* recusat 182 Ced et *corr. IM* | uel amysticus quia *proposuit Buech.* uel mysticus extet *IM* 183 infoelix genitus *corr. IM* 184 Tymbreas 187 ipse *corr. IM* 188 Effrenis *Buech. m. rh.* 192 eacidem | prosternit *corr. Buech.* 197 regnabi

Quem Clotho quem Lachesis quem uindicat Atropos ingens.
Scindite pellitas niueo de pectore uestes,
Murice serrano rutilans hunc purpura uelet.
Nec pudeat quod pauit oues: ego pastor Apollo
Ipse fui domibusque canens pecus omne coegi,
Cum procul a uilla fumantia tecta uiderem,
Alcestam sub nocte pauens deus ubera pressi,
Admetus intrantes haedos numerabat et agnos.'
Dixerat et Phoebum Priamus submissus adorat
Et grates securus agit, tacet optimus Hector.
Iam regno non impar erat, sed sceptra tiaram
Imperium trabeas iam post caeleste tribunal
Totum uile putat, solam cupit addere famam
Maiorum titulis, uiuaces quaerere laudes,
Ut celet quod pastor erat. uix uiderat aulam
Regis, et Iliacas quaerit per litora puppes,
Aegaeum sulcare fretum iam mente parabat.
Sic pater adloquitur iuuenem sermone uerendo:
'Nate redux pietatis amor, bonus arbiter Idae,
Dic ubi uis armare rates, ubi carbasa tendis. [p. 46]
Nusquam bella paro, regnum sub pace guberno.
Sed si torpor iners pudor est et turpe uacare
Credis, Alexander, certe legatus adesto,
Et Telamona ducem conuentum exposce sororem
Hesionen mox, nate, meam: captiua tenetur
Me regnante soror. dum Dorica regna peragras
Dat Uenus uxorem, faciet te Iuno maritum.'
Tunc iuuenis gauisus ait: 'paremus ouantes,
Optime Troiugenum, nihil est quod iussa recusem.'
Laetatus senior tali moderamine nati
Effatur: 'tua uota, Paris, di iusta secundent,
Hoc tantum supplex genitor rex, nate, precatur:

203 Cloto | lachessis 205 rutulans *corr. IM* 207 carens *IM* 209 Alcestes *IM ineptissime* 212 *post hunc uersum fort. nonnulla exciderunt* 217 cele *corr. IM* 222 *licebat* cur 223 bello *corr. IM* 226 talamona | conuentam *corr. Buech.* 227 Esionem 229 te unó 232 Laetatur

Iliacos proceres tres tecum pergere saltem
Imperio concede meo, ueneranda senectus
Praecipitem frenat monitis per cuncta iuuentam.
Egregios comites praestem tibi, lumina gentis
Hectore praelato cui tota potentia cedit:
Antenor Polydamas erunt iuuenisque Dionae
Aeneas cognatus adest.' sic fatus. et omnes
Ut ueniant rex ipse iubet properante ministro.
Cum ducibus redit ipse uolans ad tecta satelles
Regia, cognoscunt proceres quo uela parantur,
[p. 47] Nec mora, conscendunt puppes et litora linquunt.
Dardana iam classis Tenedon transibat, Abydon
Et Seston dimisit aquis saeuasque Maleas,
Iam Salamina uident Telamonia regna petentes.
Ut portum tetigere rates, mox ancora mordet
Litus et inuentas ferrum pertundit harenas.
Puppibus adnexis terram Troiana iuuentus
Et proceres petiere simul. sed regis ad aulam
Linquentes mox litus eunt. quos suscipit heros
Hospitio Telamon. ramos frondentis oliuae
Portantes ad tecta ducis sub imagine pacis
Non pacem sed bella gerunt, nam dicta tenebant
Quae possent armare uirum nisi iura uetarent
Hospitii quae nemo parat uiolare modestus.
Rege salutato postquam legatio Troiae
Sedit, et Antenor placida sic uoce profatur:
'Troiugenas proceres et regis pignus ad aulam,
Rex Telamon, uenisse tuam quae causa coegit
Insinuare decet: si iusseris ipse, loquentur
Consortes nunc ore meo uel regia proles.
Dardanides Priamus gentis reparator et urbis
Quam uestras populasse manus meminisse fatemur,

237 uiuientam *corr. IM* 238 tua *corr. Buech. m. rh.* 240 Polidamas | Dione 243 redi *corr. IM* 244 bella *corr. Buech.* 246 ahdon *corr. IM* 247 aqius *corr. IM* | uouas *uacuo ut uidetur spatio postea inscriptum.* curuas *IM* 250 inuitas *Buech. m. rh.* 259 solutato *corr. IM* 260 *fort.* Sederat 262 Talamon 263 decet et si uisseris *corr. IM*

Iussit ab Iliaco delectos pergere regno [p. 48]
Ad tua regna, potens germanam regis ut heros
Bellorum quam iure tenes in pace refundas:
Posceris Hesionen. iacet ingens Troia fauillis
Excidii compressa sui, nec Pergama ductor
Surrexisse putat nisi iam, rex magne, sororem
Reddideris regi quae nunc captiua tenetur.
Turpe ducis seruire genus crimenque putatur
Si non bella dabunt regi quod bella tulerunt
Si pax hoc optata negat. pro rege rogaris:
Te repetisse puta Priamo retinente sororem,
Non dolor armaret si non daret ille rogatus
Quod peteres, Telamon? scelus est et fama pudoris,
Nascitur inuidia Priamo regnante sororem
Graiugenis seruire suam, liuor malus inde
Creditur: 'Iliacas potuit reparare ruinas'
Murmur erit Phrygibus, 'consortem sanguinis unam
Non ualuit' dicent 'rector de rege mereri'.
Dixerat. at Telamon mentes armabat in iras,
Nam pietas affectus amor concordia proles
Accendunt motus in pectore fellis amari.
Conubium regni, thalami consortia casti
Scindere poscebant, et quod mens nulla tulisset,
Aiacis haec mater erat. sic incipit ore
Turbidus Aeacides iusta succensus in ira: [p. 49]
'Si pudor Iliacis aut mentibus esset honestas,
Excidium Troiae si pectora uicta dolerent,
Herculeos comites Priami gens praeda Pelasgum
Non magis auderent in bella lacessere Graios
Semideum post bella ducum, quibus Ilios ingens
Uicta iacet. placuitne Phrygis periuria gentis
Soluere uos iterum, si dudum parua luistis
Supplicia? Priamo Troes mea dicta referte:

270 Posteris. Quod potes *IM* | Hesionem 272 iã *in rasura* 276 por rege *corr. IM* 278 illi *corr. IM* 279 peteris 284 meieri 287 Accedunt *corr. IM* 298 Connubium 290 incipiat *corr. IM* 291 eacides 293 iucta dolorent *corr. IM*

Uictori quis uictus ait 'te bella gerente
Me maneat uirtutis honos, me praeda sequatur,
Praemia me laudis me praemia cuncta triumphi
Expectent, sterili uictor sed laude potitus
Et ieiunus eat'? quis regi quisue marito
Uel misero sic ausus ait cum uoce proterua
'Conubium rescinde tuum, rumpatur honesto
Foedere iuncta domus, thalami damnentur amantum,
Festiuas extingue faces'? quis uicit? ut istud
Audiat Alcides patriam qui perculit hosti?
Quando tamen uictor uicti sub lege tenetur?
Si Priami recidiua domus manet illa tyranni
Post ignes reparata meos, si pendit amorem
Germanae rex ipse suae, pro dote sorori
[p. 50] Uel regni pars iusta detur, ne uindicet Aiax
Quod matri donasset auus si Troia maneret.
Temporibus soceri senuit si Graia iuuentus
Iam nostris per bella, Phryges, successit in armis:
Bellipotens ducibus cunctis optata propago
Est mihi, bellipotens non uilis pignoris Aiax
Eminet et quaerit de qua iam gente triumphet,
Thessalus Emathia fratris nutritus Achilles
Emicat et toruos exercet in arma biformes
Patroclo populante simul Centaurica lustra,
Tydides Sthenelusque fremunt Aiaxque secundus,
Nestoris Antilochus Palamedes Teucer Ulixes
Exultant quod Troia redit quod Pergama surgunt.'
Tunc Polydamas ait submissa uoce profatus:
'Belliger armipotens animarum iudicis heres,
Rex cui de nostris est gloria summa ruinis,
Temperet inuidia frangat dolor ira quiescat:
Captiuam repetit, reginam frater honorat

305 Uel misericois sic *corr. 1 M* | tum 306 Connubium 307 damnetur (e *in rasura*) *corr. 1 M* 308 qui *Buech. m. rh. iungens cum sequentibus* 309 perculis *corr. 1 M* 317 Quam Quae *1 M* 321 Thassalus 324 Steneluque 325 ulyxes 326 surgant *corr. 1 M*

Nos et adoramus. non sic si Troia maneret
Nuberet Hesione. regnum captiua meretur,
Fit felix de sorte mala, fit praeda potestas,
Imperium de clade tenet, diadema tiaram
Qui tulit ipse dedit. quae sit gens Dardana, rector,
Exhinc nosce precor: nescit seruire subacta [p. 51]
Quam melius regnare decet, haec imperat Argis
Per quos uicta perit, dominam sibi Graecia uictrix
Non famulam quaesiuit ouans. miranda per orbem
Mens generosa ducis quae non uult regna grauare
Cum ruerint uirtute tua. releuare iacentes
Et reges regnare iubes regesque creare
Dum possent seruire tibi. sors cassa duelli
Te moderante uacat nec possunt bella nocere.
Te uincente potens quis nolit uictus in armis
Sorte tua post bella capi? qui uicerit hostis
Seruiet et uicti melius te praesule regnant.'
Haec legatus ait. regis iam corda tepescunt
Quae fuerant accensa minis. sic magna leonis
Ira fremit cum lata procul uenabula cernens
Uenantis crispare manu iam uerbera caudae
Naribus incutiens spargit per colla per armos
Erecta ceruice iubas, iam tenditur altus
Dentibus inlisis et pectus grande remugit,
Flumina tunc resonant, montes et lustra resultant:
Ast ubi uenator reiecta cuspide sollers
Sponte cadit pronusque iacet, perit ira leonis
Turpe putans non dente suo si praeda iacebit,
Temnit praedo cibos quos non facit ipse cadauer [p. 52]
Ignoscens feritate pia ueniale reatus
Uenator si cesset iners. sic rector Achiuus

333 meietur 334 foelix 342 Cum ruerint uritur tua releuare *corr Buech.* 344 seruite *corr. IM* 351 *fort.* cernat *nisi uersus excidit* 350 nimis *corr. Buech.* 352 manum *IM at conferas indicem s. u. crispare* 353 Naribus] natibus *IM metro repugnante. temptaui* clunibus 360 prędå | fecit *conferas uersum repetitum in Satisfactione 143* 361 uenatus *corr. IM*

Frangitur et Phrygibus conuiuia laeta parari
Per septem iubet ipse dies. Cythereus et Aiax
Colloquium commune tenent duo fulmina belli.
Regis Alexandrum iuuenem regina Pelasgum
Hesione complexa fouet germana parentis,
Uultibus in Paridis Priami laudatur imago.
Octauo ueniente die iam sidera Phoebus
Elatis condebat equis, iam cuncta ruebant
Oceano nudante rotas stridentibus undis.
Tunc Anchisiades sublimi uoce profatur:
'Rex inuicte armis, felix in pace senesce,
Quamuis nemo ducum uos umquam in bella lacesset
Ex quo Troia perit, nec uester creuerat Aiax,
At modo, rex, ter cuncta domans ter cuncta reuellens
Murus erit sociis aries metuendus in hostes
Aiax, magne, tuus. Priamo tua dicta loquemur.'
Sic fatus. dixere uale regemque salutant.
Tunc iter ad portum uertunt et litora tangunt.
Conscendere ratem, subducitur ancora mordax,
Uela leuant nautae, proras a litore torquent,
[p. 53] Puppibus incumbit uentus, mox carbasa tendit
Dum fluctus scindunt et prospera flamina crescunt.
Africus interea ueniens comitante procella
Turbidus occurrit, mox sparsit in aequore classem.
Gurgite curuato rapiuntur ad astra liburnae
Et suspensus aquis per nubila nauta cucurrit
Nauigium uectante salo. dum summa carinis
Sidera tacta putant et nil superesse fatentur
Montibus aequoreis, malo uenit altior unda
Naufragiumque diu ratibus suspensa minatur
Desuper intentans pelago ueniente ruinam.
Iam uentus subduxit aquas, extundit harenas
Pressa carina solo, muris stat celsior unda

364 Cithaereus *corr. IM* 368 laudatu *corr. IM* 373 iniuncte *corr. IM* | foelix 377 eris *corr. Buech. m. rh.* 382 nauae *corr. IM* 389 ceruicis uertice summo *IM* 393 uenientem *corr. IM* 395 murus *corr. Buech. m. rh.*

Circumfusa rati, uastarum turris aquarum
Pendet et elati percellunt carbasa fluctus.
Obriguit per membra Paris, transire parabat
Ad legatorum propria de naue carinas.
Ast ubi dispersos longo uidet aequore Troas,
Soluitur in gemitus lacrimosae uocis amaros
Et sic orsus ait: 'felici sorte creati
Pastores quos terra capit quos nulla procella
Concutit. haud ponti metuunt super aequora fluctus
Et rabidum pelagus temnunt latrantibus undis,
Sed celso de monte uident ut in arce sedentes [p. 54]
Pascua rura nemus fontes et flumina prata,
Per campos gestire pecus, pendere capellas
Praerupta de rupe procul dumeta sequentes,
Et uirides tondent lasciuis dentibus herbas,
Ubera lactentes contundunt frontibus agni,
Dum cauda crispante tremunt mollique palato
Exultant, potare cibos atque edere potus
Mulctrae balantum depressis ubera mammis.
Decedente die noctis uenientibus umbris
Quantus amor, cum lacte nouo iam caseus albens
Formatur manibusque premit lac pastor ad orbem,
Candida summittit feruentes bucula tauros
Committitque duces armata fronte iuuencos.
Nam grauis est regnare labor, metus excutit ingens
Corda ducum ne bella ruant ne tela minentur
Exitium crudele, necis timor omnis ubique est.
Nam gladios tellure pauent pelagoque procellas
Formidant nec plena datur ducis hora quieti.'
Dum loquitur, uenit unda grauis resonatque fragore

397 per coelum *corr. Buech. m. rh.* 402 foelici 404 aut *corr. IM* *post* 409 *uersus uidetur periisse cum particula uerba finita regente* 410 tundent *corr. IM* 411 lactantes *corr. Buech.* 414 Mulcere *corr. Buech.* mulgere *IM* | palmis *scripserunt IM* 415 diem *corr. IM* 419 *uel corruptus est uersus uel post eum nonnulla exciderunt.* 420 labor *etiam ante* regnare *scriptum est sed expunctum* 421 Cordax *corr. IM* 422 Exitum *corr. IM* | neci *corr. Buech. m. rh.* 423 pellagoque 424 queti *corr. IM*

Et puppim percussit aquis, sublata carina
Tollitur et Cypro classis depulsa resedit.
Post signum uenere rates residente procella
[p. 55] Et Cyprum tenuere simul. legatio sola
Defuit, una fretis et fluctibus acta negatur
Puppis in Ionium rabidis conlisa procellis,
Aegaeo nam pulsa caret. mox pastor arenis
Dardanus exsiluit tremulis post aequora plantis
Et se cum sociis tacta tellure refouit.
Cypro festa dies natalis forte Dionae
Illa luce fuit. ueniunt ad sacra Cytherae
Reddere uota deae quidquid capit insula Cypros
Quod nemus Idalium quod continet alta Cythera
Quod Paphon exornat tacitas quod lustrat Amyclas.
Candida praeterea Iouis alitis Helena proles
Uenerat, absentem retinet dum Creta maritum.
Nuntia fama ducis totam repleuerat urbem,
Aduenisse Parin Troiano sanguine cretum.
Audiit aduentum iuuenis Spartana decori,
Mox iubet et famuli ueniunt mandante Lacaena:
Hospitio speratus eat, nam turpe uideri
Regina praesente Paris ceu nauita uilis
Litus arenosum teneat. tunc hospes ad aulam
Peruolat Atridis socia comitante caterua.
Perceptum dum carpit iter festinus ad urbem,
Respicit ad templum Ueneris cui turba precantum
[p. 56] Uel conuentus erat, mox uertit iturus ad aras.
Interea niuei uolitant per litora cycni
Flumine contempto, placidasque hinc inde columbas
Molliter intendunt omnes per inane uagari,
Quas insanus agit rapidusque sequente uolatu
Miluus insontes, cunctas clamore fatigat,

427 scopulo-recedit *Buech. m. rh. proposuit* 432 harenis 435 Dione 439 paphos *corr. Buech. m. rh.* 444 Audit *corr. IM* 448 harenosum 450 *fort.* praeceptum *Buech. m. rh.* inceptum 451 precatum *corr. IM* 452 iter *corr. Buech.* iter uertit *scripserunt IM* 456 rapidosque *corr. IM*

Quas super accipiter uolitans grauis imminet ales.
Tunc sollers augur cretus de gente Melampi
Quem fors ad Cyprum dederat per festa dierum,
Et sic orsus ait prorumpens uoce sagaci:
'Te oblatiua petunt auium responsa uolantum:
Conubium spondent praefulgens ore decoro
Idaliae uolucres, de gente Tonantis olores
Promittunt genitam, sed miluus horrida fata.
Ditis enim signatur auis, licet hora peracta
Tertia quippe sinat Phoebo candente uolucrem
Uera per immensum praesagia ferre rapacem.
Martius accipiter dotem fera bella minatur'.
Tunc Paris ad caelum tendens cum lumine palmas
Numina magna uocat puerum matremque Dionen:
'Aurea siderei proles Uenus alma Tonantis
Numina mille tenens, artes cui mille fauendi
Dat pater et natus supplet simul, omina firma
Quae cycnus genitoris agit, quae uestra columba [p. 57]
Prodidit. infaustos opus est cohibere uolatus,
Martis et inferni uolucres raptoris obuncas
Augur auerrunces sacris, quibus imperat auctor
Troius ille puer Ganymedes conditor artis
Et Polles cui pinna loquax dat nosse futura.'
Pauca precatus erat supplex et templa subibat
Uestibus indutus Tyriis et murice regni.
Uersi*color* chlamys ipsa fuit quam purpura fulgens
Flammabat diffusa humeris, hanc fibula mordax
Iungit et ornatus iuueni plus admouet aurum
Quo distincta micat radians per stamina uestis.
Cetera turba comes Phrygio succincta decore
Fulgebat. delubra petens intrauit ad aras
Pastor et in sese cunctorum lumina uertit:

460 *sine dubio Paridis mentionem qui fecerat uersus excidit* 463 Connubium 471 Dionem 474 omnia *corr. IM* 476 Prod·dit *corr. Buech. m. rh.* 478 Augur aberrantes *corr. Buech.* 479 ganimedes 483 Persa clamis *corr. Buech. m. rh.* 485 admonet auriũ *corr. IM* 486 Quod *corr. IM*

Aspicit hunc errans oculis ornata Lacaena,
Effigiat per cuncta uirum quibus ille decorus
Uestibus incedat uel qua lanugine malas
Umbret et in roseo prorumpat flosculus ore.
Laudat amans mirata uirum flammata Lacaena
Ignibus Idaliis, nam dudum flammiger ales
Matre iubente puer telo candente medullas
Ledaei partus furtim iaculatus amorem
[p. 58] Usserat. at pastor repetit post sacra Dionae
Hospitium. regina uenit pallente rubore,
Nam flammis perfusa genas pallentibus ibat,
Fusus uterque decor manifestum uulgat amorem.
Pastorem pudibunda petit cohibente pauore
Hortaturque uirum feruens, qua stirpe creatus,
Indicet et fuerit qua iam uexante procella
Ad Cyprum pulsus. medio sermone Lacaena
Iam tacet et quaerit iuuenem quibus appetat ardens
Dictorum uerbis. sed pastor perfidus hospes
Ut sensit fragiles mulieris pectore sensus,
Incipit Iliacus non quo sit sanguine cretus
Nec quibus excussus uentis ad litora Cypri
Uenerit effari: trepidus iam uoce remissa
Reginam laudabat amans, culpare maritum
Coeperat absentem quod iam pulcherrima coniux
A tepido deserta uiro neglecta uacaret
Sacra Dionaeae matris uel templa petisset,
Adiungens ‘si talis erit quam forte merebor
Uxorem, sic blanda genis sic ore modesto
Sic oculis ornata suis sic pulchra decore
Candida sic roseo perfundens membra rubore
Sic flauis ornata comis sic longior artus
[p. 59] Et procera regens in poplite membra uenusta,
Tali semper ego dignatus coniuge felix
Non desim, famuler supplex et iussus adorem,

490 húc erran oculis *corr. IM* 497 Laedei 498 Uesserat *corr. IM* | Dionem. Diones *IM* 501 color *proposuit Buech.* 511 et fari 515 uel tempta *proposuit Buech.* 516 erit *corr. ex* erat 522 foelix

Conubio seruus ueniam sub lege mariti
Nocte dieque pauens quidnam uelit illa iubere
Quae specie fulgente micat. Menelaus oberrat
Numine contempto non dicam, coniuge pulchra,
Quamuis numen adest ueniens de stirpe Tonantis
Unde genus duco.' mox haec est uerba locutus,
Tyndaridis faciles quatiunt suspiria sensus
Et sic orsa refert: 'quae sit tua, pulcher, origo
Te reticente magis dudum cognouimus omnes.
Est commune genus: pariter tua regna petamus,
Sis mihi tu coniunx et sim tibi dignior uxor.
Hoc nam fata iubent uel nos hoc Iuppiter urguet:
Uiuere me gemini iussit sub sorte mariti.
Conferet Atridi quisquis me duxit amator
Ut uiuum linquam, non iam moriente marito,
Post thalamos primi cui debent fata secundum.'
Dixit et egressi puppes et litora poscunt.
Dum portus classemque petunt, respexit ad urbem
Pastor et ingentem uidit consurgere nubem
Pulueris extorti, mouit quam turba sequentum. [p. 60]
Tunc Paris adloquitur comitantem praedo rapinam:
'Occidimus regina pares, nos Graia iuuentus
Insequitur, gladio uestigia nostra sequaci
Captatum peruenit iter quicunque satelles
Coniugis Atridis subnixus et hospite turma.
Nos armatorum rapient ad bella cohortes
Et mecum fortasse cades si tela sequentur.'
Tunc Spartana refert: 'iuuenis, quid nostra retardas
Pectora colloquiis? Phrygibus tamen arma capessant
Rex dilecte iube, gressus celerare ministros

524 Connubio | maritus *IM* 525 *malis* quid iam 526 oberrat *corr. ex* oberret 529 *malis* uix 534 Sic *in correctura. potest fuisse* sis *quod restituerunt IM* | tui tua *IM* 537 quisque *corr. IM* 543 mouet 544 patris *corr. IM* | comitante *corr. IM* 545 regna *corr. IM* 547 iet *proposuit Buech.* | quiccunque 548 Aridis *corr. IM* 549 Mox | rapiens *quae Buech. indicat posse teneri scribendo* Atrides 550 cade *corr. IM* 551 retardes

Imperio compelle tuo, properemus ad aequor
Et uacet auersis concurrens turba ministris.'
Et sic fata uolens rapitur per colla tyranni,
Iam Priami cum clade nurus: sic terga iuuenci
Europam rapuere dei cum Iuppiter ipse
Taurus Olympiaca produxit cornua fronte,
Fulmineus uector sobolem famulantibus undis
Gaudet Agenoriam caelestia colla grauantem
Cum Cadmi cognatus aquas freta magna secaret.
Ergo ubi peruenit raptor turbatus ad aequor
Et licet exhaustus cursu uel pondere lassus,
Qui gratum portabat onus, tamen ipse Lacaenam
[p. 61] Litore non posuit media sed puppe locauit,
Nautae uela leuant et remis castra mouentur.
Adueniunt collecta manus iam classe remota
Et quatiunt omnes palmis in litore frontes,
Nunc galeas nunc tela simul clypeosque tonantes
Proiciunt. uenit ipse uolans per rura maritus
Sudanti peruectus equo, quem nuntius horrens
Fregerat ad Cyprum uenientem sacra dicare.
Ut conspexit amens sulcari puppibus undas
Et thalamos gestare suos, collisus arenis
Ingemit et flauos extorquet uertice crines.
Hyrcanae sic saepe solent per deuia tigres
Affectu stimulante rapi, cum pignora mater
Perdit et elusa feritas pietate nocenti
Raptoris sectatur iter, uestigia sollers
Insequitur praedonis equi sessoris anheli,
Ast ubi torua parens transacto flumine natos
Secerni conspexit aquis, redit orba dolore

554 properamus *corr. IM* 555 Et uacate iussis *Buech. m. rh. proposuit* et uacat auersis 556 tyrrani 561 grauentem grauare *IM* 563 peruemit *corr. IM* | turbatur *corr IM* 570 tonantis sonantes *IM* 571 Proiciút tunc *corr. IM* 572 prouectus *Buech. m. rh* 574 amans? 575 harenis 577 Hucanę *corr. IM* | tygres 578 stimulante *corr. ex* stimulanti 581 sessori *corr IM* 582 transactos lumine 583 quis equis *IM inepte*

Et gemit infrendens amissum nobile pignus.
Atrides sic maestus erat de coniuge rapta.
Interea Aeneas rediens legatio Troiam
Uenerat et Priamo Telamonis dicta reportat.
Sed Paridem genitor postquam non uidit amatum,
Plangit et albentes immundat puluere canos. [p. 62]
Antenor Priamo pelagi narrare labores
Iam fletu manante genis et mille pericla
Coeperat: ignarus quid de pastore procella
Fecerit aut iuuenis classem si merserit unda
Nescius ore refert, hoc tantum nosse fatetur
Quod pelagi rabies subuerso gurgite ponti
Sparserit Iliacas in tempestate carinas.
His dictis gemit aula ducis. se luctibus atris,
Moenia iustitio foedant et plangitur urbe,
Sexus uterque gemit, non pro uirtutis honore
Aut quod talis erat qui posset bella subire
Aut ingesta pati uel summis uiribus hostem
Frangere et ensiferas acie iugulare cohortes —
Quamuis Alexander, si uiribus Herculis esset
Aemulus aut certe Meleagrum aut Thesea fortes
Aequaret uirtute potens, tamen Hectore magno
Sospite nemo Parin lugeret corde dolenti —
Sed regis quia natus erat, fit planctus in urbe.
Nam quicunque memor Heleni mox dicta tenebat,
Laetatur gaudens sed tantum uoce dolebat.
Tunc pater absenti tumulum formabat inanem,
Ut iacuisse putes praesenti morte cadauer.
Dum parat inferias genitor mactare sepulcro [p. 63]
Non ubi corpus erat uel nil satiare cruore,
Per freta conspiciunt notam de litore classem.
Prima ratis iuuenis regali praedita signo
Apparet quam serta ligant enata rosetis.
Candida pepla uolant et carbasa sericus ornat,

589 canos] *fort.* crines 590 Anteno *corr. IM* 597 sed 602 aciem *corr. IM* 604 Tesea 612 sepulchro 614 cospiciunt *corr. IM* 616 legant *corr. IM* | ornata *corr. Buech. m. rh.* 617 seriens *corr. IM*

Et Ueneris celsa spectatur ab arbore myrtus
Quam sponsus defixit ouans. occurrit ad undas
Hecuba cum Priamo populi comitante caterua,
Suscipiunt sponsam, dat cunctis oscula pastor
Ad patrem Priamum gradiens matremque salutans,
Dulcia colla tenent et uultibus oscula figunt.
Non inuitus adest nec gaudet fortior Hector,
Quem Troilus sequitur nec liuidus at tamen aeger
Non membris sed mente grauis. praesagia sensus
Concutiunt animosque uiri: mors ore cruento
Inter Troianos discurrit saeua caterua,
Heu quantos raptura uiros et fata datura
Aut quantas per bella nurus uiduare parata.
Troile, sectatur uestigia uestra Polites.
Sic solet umbra sequax hominem larualis imago
Muta sequi nec membra mouet nisi mouerit ille
Quem sequitur, si cesset homo cessabit imago,
Uel quodcunque mouens, si sederit illa sedebit,
[p. 64] Motibus et falsis ueras imitata figuras,
Nil faciens quasi cuncta facit. sic quoque Polites.
Duxerat uxorem pastor cum sorte sinistra.
Iam muros iam tecta petunt, iam regis ad aulam
Intratur sponsamque tegunt sua flammea pulchram,
Iam thalamis ornata sedet, saltatur in urbe,
Tympana iam quatiunt, iam rustica fistula carmen
Pastorale canit. lituus nil dulce remugit,
Fescennina silent et bucina bella minatur,
Nec molles tuba rauca sonos dedit aere canoro,
Increpat arma duces clypeos et mille carinas,
Classica Tydidis committere bella putares.
Ite pares sponsi, iam omina tetra probastis

620 Ecuba 622 At *corr. Buech. m. rh.* | gaudens *corr. Buech. m. rh.* 624 nen gaudet *corr. I M* 625 nec (*in rasura*) inuitus attamen non inuitus tamen *I M* 627 in uiri *corr. I M* 628 Troianas — cateruas? 629 quanto *corr. I M* | raptura *in ras.* | atq; *corr. I M* 633 Multa *corr. Buech. m. rh.* 638 Dixerat *corr. I M* 640 Intratu ri *corr. I M* 641 Iá *corr. I M* 642 Typana *corr. I M* 648 omina *in ras.*

Martis, et ornati misero flammastis amore
Ostensam sub nocte facem qua Troia cremetur,
Qua Phryges incurrant obitum sine crimine mortis.
Sanguine Troiano dabitur dos, clade Pelasgum
Ditetur Ledaea fugax per castra propago,
Orbentur superi, caelum gemat et mare plangat:
Crimen adulterii talis uindicta sequatur.

IX. Deliberatiua Achillis an corpus Hectoris uendat. [p. 65]

Si decus est uirtus et praemia cuncta meretur,
Si meritum post fata manet, si fama superstes
Eminet et gaudet titulis ornare sepulchra,
Annue quod petimus. fortis pro forte rogaris:
Egregias mentes uirtus delectat in hoste,
Inuidia mens summa caret, laudare decora
Nouit et ingentes attollere gestiet actus.
Dat uirtus exempla bonis prauisque pudorem
Debilitas quos lassa premit. tu fortis Achilles
Quid prohibes tumulos, quamuis iactura sepulcri
Temnitur et nihil est quoduis in morte periclum?
Si sensus post fata perit, cur busta negantur?
Si mens ulla manet, iam rectius ergo putatur
Non requies sed poena rogus: tormenta sepulcrum
Ingerit et manes tolerant per membra dolorem.
Sed sensum cum luce simul post fata perire
Segnibus et pueris mentitur fama relatrix.
Sunt animae post membra piae: quas ignea uirtus
Tollit ad astra micans et solis in orbe recondit
Lunares non passa globos. ac desuper orbem
Exspectant stellasque uagas et signa leonis
Augusto quid mense parent, quid cetera temptent

650 Ostensa Obtenta *IM* 2 post pama manet *cf. Orest.* 470 5 *post* hostes *rasura* 10 sepulchri 12 cui 13 et iam pectus *corr. Buech.* | *uerbi* putatur p *litera expuncta uidetur* 14 sepulchrum 17 Signibus 21 Exspectat. *cf. d. deo* I 356 22 caetera

Ornamenta poli. rident sua membra uidentes
[p. 66] Funeris abiecti fragiles et corporis usus,
Ut doleant animae iam libertate recepta
Corporibus uixisse suis et clausa tulisse
Carceris angusti. tumulos aut ossibus urnas
Dedignant animae, non curant uile sepulcrum,
Et plangunt non esse simul quos urna polorum
Claudit et aetherium Phoebus suspendit ad axem.
Aduenturus eris, pietas si sancta manebit
Corpore belligero, si non crudelis in hoste
Post uitam morientis eris, si mitis Achilles
Nec post bella manes nec spectant funera poenas
Arbitrio subiecta tuo, si parcitis umbris
Quaesitor quas torquet auus si uera feruntur.

At inquies: si post uitam animae corpora sua despiciunt, pro Hectore cur rogamus?

Quaestio. Non Hector sed Troia rogat miserique parentes,
Andromache uiduata gemit uel ut ubere paruum
Astyanacta tenet sic caelum questibus implet,
Uirgo Polyxene lacrimis ornata decoris
Et planctu laniata genas contusa lacertos
Ac longis dispersa comis onerata pudore
Ingemit et tantum nutu sine uoce precatur
Funeris Hectorei poscens exsangue cadauer:
[p. 67] Quem retines iratus adhuc. cognosce puellam:
Plangentis germanus erat, cui uita daretur
Ante aciem si uisa foret, Troiaeque periclis
Femina bella dedit sed femina bella negaret.

23 Ornamenta *corr. ex* ornamento *ut uidetur* 24 adiecti *corr. Buech.* 26 clausā 27 tum tumulos 28 sepulchrum 33 morientis *aperte corruptum est.* 34 manes] *ut nunc haec leguntur,* Achilles *nominatus pro fero saeuoue uidetur* 38 uelud ubera 39 Astianacta 40 Polixene lacrymis 44 exangue 45 *expectes* Quod

Da ueniam, iuuenis. magnum est punisse triumphos
Hectoris: hoc sat erit quod de uictore triumphas.
Iam luctus conuerte tuos ad gaudia uictor,
Gaudia qui Phrygibus sollers in funera uertis.
Infelix plus Troia gemit quam perdit Achilles
Fortior occisi consurgens ultor amici.
Infremis Aeacides? qui uindicet Hectora non est.
Anne Parin fortuna iuuet? qui crine madenti
Inter lanigeras gaudet latuisse puellas
Nec mater ueneranda iubet quod laudis habere
Hoc agit et pugnam thalamis exercet adulter
Pectore femineo. Ueneris nam bella lacessit
Ut Martis declinet opus uel fulmina campi
Effugiat. magnoque tacet dotata Lacaena,
Sanguine Troiugenum, Graium dotata cruore.
Dardanio quis murus erit post Hectora campo,
Aduersus Danaos quis Pergama fessa tuetur,
Puppibus Argolicis Phrygios quis diriget ignes,
Quis Telamone satum constans umbone tonantem
Sustinet aut Teucri tolerat per bella sagittas? [p. 68]
Quis hostis Diomedis erit, quae turma furentem
Excipit in clipeum surgens cum torserit hastam
Turbine belligero? quis non sine uulnere fractus
Concidit et moriens tremibundos porrigit artus?
Tydidem Aeneas rediens in bella lacesset,
A quo uictus abit, qui impressit uulnera matri?
Nam niueam lusisse fuit plagare Cytheren.
Pergama Pelidi fateor post Hectora tractum
Non bellum sed praeda patent spectante triumpho.

55 eacides 56 iubet *corr. Buech.* | crimen adenti *corr. Buech.* 58 habetur *corr. Buech.* 62 iacet *corr. Buech.* 64 Dardanis *corr. Buech.* 66 phrygibus *corr. Buech.* 71 nō 73 Tydiden | lacessit *corr. Buech.* 74 uulnena 76 nactum *corr. Buech.*

At inquies: dolorem meum leniam, percussorem Patrocli canibus et uolucribus *si* dedero laniandum.

Quaestio. Hectoreum si forte canes laniare cadauer
Ipse paras crimenque putas, hoc Medus honestum
Credit et ad Persas honor est si membra uolucres
Eripiant. et nulla detur licet ossibus urna,
Multis membra tamen condentur rapta sepulcris.
Corpus flamma cremans absumit, membra *uorantes*
Hoc canis hoc uolucres faciunt, uix ossa relinquunt,
Et rogus ossa rapit. forsan seruabitur Hector
Ut madefacta cadant siccantibus ossa medullis
Et longa sub tabe fluant. hoc cuncta sepulcra
Exercent. tamen intererit quod clausa tenebris
[p. 69] Putrescant tumulis, at hic sub luce madescant
Aspectusque tuos funestent ossa diurnis
Uisibus. Andromache tumulum sibi formet inanem
Et causam lacrimis faciet quam denegat hostis.
Te tamen, Iliacae populator gentis, Achillem
Sacrilegi iam poena manet, qui uiua peremptis
Funestas elementa uiris. corrumpitur aer
Mortibus, unde caret tellus uitalibus auris,
Non purus sub sole dies, non sidera noctis
Impolluta micant, fuscantur cornua lunae,
Sordibus et totum caeli mox inficit orbem.
Non Phoebus Danais morbos, non Troia Pelasgis
Infert aut natam repetens per castra sacerdos
Chryses Apollineus: hinc sunt hinc funera maesta
Fortibus et bellum geritur cum morte cruenta.
Hector in hoste fuit saeuus cum uita maneret,

81 nulli *corr. Buech.* 82 sepulchris 83 *suppleuit Buech.* 86 male facta *corr. Buech.* | siccantibus *quamquam permire dictum est tamen nescio num scribendum sit* siccatis | medulis *ex* medullis *rasura* 87 sepulchra 89 madescunt *corr. Buech.* 94 *post* poena *rasura* 96 tellus] laesus 98 Impullata *corr. Buech.* | fulcantur *corr. Buech.* | luce 99 *fort.* mors 101 Inseret *corr. Buech.* | nauta 102 Cryses

Plus post fata nocet. certe medicabilis ille
Te Chiron docuit pestes sanare iacentum
Cum chordas quateret plectro, cum bella moneret
Et citharam post lora daret, cum mentis honestae
Post Centaurorum raptas de flumine praedas
Ingenitos animos puerili in corde leuaret:
Non docuit quia maestus odor quia putre cadauer
Aera tellurem uentos animasque grauabit, [p. 70]
Inde homines uolucres pecudes et cuncta necantur,
Corpora uiuorum rapiet mundique salutem?
Mors neglecta nocet, non sunt commercia uitae,
Manibus et superis diuisit limite mundos
Imposito natura parens, non congruit aether
Funeribus nec funus amat sub sole iacere,
Inferni secreta dei sub nocte petuntur.
Non tibi per somnos aderit censoris imago
Aeacus in medias ueniens ad castra tenebras
Uoce manuque furens, et te culpabit amare
Asper et increpitans? et iusta uoce notabit:
'Tene, deum soboles, caeli pelagique nepotem,
Atque Erebi gens clara mei, te fortis Achilles
Ista decent? tumuli caesis et busta negentur?
Nec dabis occisos iuuenes Acheronta natare,
Prostratis dum busta negas manesque sepulcris
Abdicas? me uita pia promouit ad urnam,
Humani generis laudes et crimina quaeram.
Nec tamen hinc securus eris quia noster ad urnam
Aduenies quandoque nepos: ignoscere manes
Ignorant mecumque Minos uel Gnossius illic
Iudicium Rhadamanthus habet commune barathri.

105 oerte *corruptelae signo notatum* | medicabil[illegible]is 107 cordas | manerent *corr. Buech.* 108 cytharam | homistę h *in rasura* 110 Ingentos *corr. Buech.* | leuabant *corr. Buech.* 113 *melius* unde 114 rapiter *cui corruptelae nota appicta est* 115 uincta *corr. Buech. cf. d. deo* I 591 116 Mortibus *corr. Buech.* 121 Eacus 124 T[illegible]e 126 cęssis sed 128 mor[illegible]esq; *corr. Buech.* | sepulchris 129 merita piam *corr. Buech.* 130 *fortasse* quaero *Buech.* 132 ngnoscere 133 Gnoscius 134 Iudicum Rhadamantus | baratri

[p. 71] Nominis inuidiam uestri per flumina manes
Exagitant, sua iura neges quod morte peremptis,
Patroclumque tenent quem nec conscendere cymbam
Permittunt nisi primus aquas transcenderit Hector.
Et nullum pars nostra sinit transire per undas
Ac sortem retinere suam nisi rite sepultum.'

Epilogus.

Desine bellipotens animos retinere feroces,
Dux iras depone, precor. non sentiet Hector,
Quidquid in hoste furis, lacerum tenuisse cadauer.
Supplicium non Hector habet sed poena Pelasgum
Seruatur per castra tuis, dum funera punis.
Aeacus inuidiam, carus tormenta Patroclus
Sustinet et uestri poenas luit ille doloris.
Uel medium Priamo, generose, refunde cadauer,
Nam partem tractura tenet. si reddere corpus
Et laceros artus tempta pietate negabis,
Exiet Andromache socero comitante per agros
Astyanacta trahens qua tritior orbita monstrat
Et leget infelix dispersi membra mariti
Uepribus e mediis, rupem complexa cruentam
Oscula fixa dabit dicens de rupe maritum
— In qua sanguis erit rupem uocat Hectora coniux —
Et puerum miseranda docet ne calcet arenas
[p. 72] Infecit quas forte cruor, tardumque per horas
Exspectat socerum. sed non uacat: exprimit herbas
Quas rubuisse uidet. hoc nati uultibus addit
Ut patrem ferat ore puer. suadente dolore
Ipsa sibi demens extorquet ut Hectora credat
Astyanacta suum. Priamo tamen Hectoris ossa

135 inuidia 136 negis 144 Supplicum 145 Seruantur 146 Eacus | inuidia *corr. Buech.* 151 comtante 152 Astianacta | tristior *corr. Buech.* 153 infoelix 154 et mediis 157 meseranda | harenas 161 patre

Si qua iacent dispersa solis ostendet et ambo
Carnibus Hectoreis defigent oscula flentes,
Ore cruentato puerum simul ambo monebunt
Oscula det membris: 'laceros ubicumque iacere'
Dicet auus puero 'pater est quos uideris artus'.
Motibus his si nulla uenit pietatis imago,
Aspice quid faciant coniux pater Hecuba natus
Et pudibunda soror. Priamus iacet oscula plantis
Rex senior dans ipse tuis nec turpe putabat
Quod miserum fortuna iubet. hinc uirgo pudica
Astyanacta tenens paruum super Hectora ponit
Et puerum deflere docet, sed paruulus optat
Ire nec extincti cognoscit funera patris.
Heu lacerum nam corpus erat, quod mater et uxor
Complexae per colla tenent et uulnera ferri
Per laceros artus generoso in corpore quaerunt.
Sed quid dorsa uiri palpant? iniuria constat
Magnanimi iuuenis: plagam qua concidit Hector [p. 73]
Et uulnus si nosse placet, uersate supinum
Corpus et occisi tractentur pectora regis.
Inuenient ungues quanto descendit hiatu
Hasta potens quantumque dedit uulcanius ensis.
Nam quod terga ferunt, hoc currus fecit Achillis
Dum trahit extincti iuuenis per saxa cadauer,
Et domino iam damna parant de funere tracto.
Hectora mirantes plus te laudamus, Achilles,
A quo uictus obit: finem da, magne, dolori
Et post uindictam ueniam concede perempto
Qui poenas in luce dedit. iam respice mitis
Astyanacta uidens, Pyrrhi succedat imago
Ante oculos dilecta tibi, Priamique senectus

164 sororis solis *posui temerius fortasse quam rectius* 165 defigunt *corr. Buech.* 166 manebant *corr. Buech.* 169 Mortibus *corr. Buech.* 170 ecuba 174 ponens *corr. Buech.* 176 humera 184 descendi (*corr. ex* discendi) *cf. Stat. Theb.* XII 340 186 dederunt | Achillis *corr. ex* Achilles 187 iuuenis *corr. ex* iuuonis 193 Astianacta | *malis* uigens 194 delecta

Mentibus adsciscat uenerandi uota parentis.
Nam genitor Peleus laetum post bella uidere
Te cupit, et senior Lycomedes coniugis auctor
Exoptat reduci gaudens offerre nepotem.
Planctibus Andromaches ceu praesens blanda putetur
Deidamia simul quae sollers nocte dieque
Mente oculis attenta uolat, nam fluctibus atris
Carbasa prima uidens nautis occurrit in undis
Perquirens si Troia ruit, si concidit Hector
[p. 74] Sollicita quem mente timet, te plectra tenentem
Atque iterum blandas iuuenili pollice chordas
Tangentem laudare cupit uel brachia collo
Nectere mellifluis adiungens oscula labris.
Hecuba maesta gemens et canos puluere foedans
Omine non tali matrem praesentet ab undis
Corde tuo pietas: licet haec mortalia fata
In se nulla timet, tamen haec te, fortis Achilles,
Mortalem genuisse dolet. haec, summe, retracta
Et ueniam largire pius. si parua putantur,
Fac pretium, uictor, generosum uende cadauer.
Uendatur ceu uiuus adhuc nec munere paruo,
Sed ueneat tanto quanto pensabitur Hector.
Hoc placet ut fortis habeatur iudice bello
Mors pretiosa uiri. cunctos hortaris in hostem,
Si non uilis erit ueniens occasus in armis
Qui se despiciens ciues dilexit et urbem.
Dardanides dependat opes, det magna talenta:
Astyanax egeat, Priamus mendicet et omnes
Infelix quos Troia capit. haec poena manebit

196 letum 198 offere 199 ceu presens bland maritú *sed in margine adnotatum uides* putatur *corr. Buech.* 201 uiclat *Buech. proposuit* | *fort.* altis 202 animis occurrit nautis *temptauit Buech.* 205 cordas 206 et *corr. Buech.* 207 adiunges 208 Ecuba | pluere 211 timent *corr. ex* timens 212 hoc *corr. Buech.* 214 pretum 216 ueniat *non uideo quo alio modo corrigas* | tantum quantum *corr. Buech.* 218 Mois 219 occasus *corr. ex* occasum 222 Astianax 223 Infoelix | et *corr. Buech.*

Laomedontiadas: si carior ille sodalis,
Sollers Hector eo condetur dignius auro: [p. 75]
Dum tamen infernis requies detur et bona uiuis
Praestetur de morte salus ac pace fruantur
Aeris innocui caelum mare Tartara tellus.
Unde genus ducis, morti licet illa sepulcrum
Comparet, omen erit si reddat Troia tributum
Troïa uel Danais uectigal funera praestent.

Exp. deliberatiua Achillis deliberantis an corpus Hectoris uendat.

224 Leomedontiadas 225 Hectoreo | dignus 228 Tartarea 229 sepulchrum 231 Troia *sequitur uacua pagina 76*

[p. 77]

X. Draconcij Medea.

Fert animus uulgare nefas et uirginis atrae
Captiuos monstrare deos, elementa clientes,
Naturam seruire reae seruire puellae,
Astra poli et Phoebi cursus et sidera caeli
Arbitrio mulieris agi, perferre Tonantem
Quod iubeat Medea nefas, ubi mittere flammas
Imperet aethereas. penetrat uox illa per auras
Cum uitas mortesque facit, cum fata retorquet
Ad cursus quoscumque uelit. licet hospite caeso
Seruiat et Scythicae currat per templa Dianae,
Possidet astrigerum funesto pectore caelum
Et superos impune premit prece nixa uirago
Inuitos parere sibi. quae carmina linguis
Murmuret aut urens species quae nomina dicat,
Haec uatem nescire decet, quae nosse profanum est,
Quae fuerit uulgasse nefas. nos illa canemus
Quae solet in lepido Polyhymnia docta theatro
Muta loqui, cum nauta uenit, cum captus amator
Inter uincla iacet mox regnaturus Iason,
Uel quae grande boans longis sublata cothurnis
Pallida Melpomene tragicis cum surgit iambis,
Quando cruentatam fecit de matre nouercam
Mixtus amore furor dotata paelice flammis,
Squamea uiperei subdentes colla dracones
Cum rapuere rotis post funera tanta nocentem.
Te modo, Calliope, poscunt optantque sorores
Dulcior ut uenias, nunc te decet ire rogatam,

Quam passim adscripsi alterius exemplaris lectionem notaui litera γ 3 reae *corr. ex* deae d *litera expuncta* reae γ 5 pendere *corr. Buech.* 10 Scytice 13 *fort.* lingua 14 urens *corruptelae signo notatum. cf.* species *in indice* 16 Quod *corr. Buech.* 17 Polymnia 18 Multa *corr. Buech.* 19 iacens 20 quod *corr. Buech.* | coturnis 23 pelice 24 uipereis *corr. Buech.* 26 medo modo γ 27 nocte *corr. Buech.* | rogatum *corr. Buech. cf.* VI 24

Ad sua castra petunt. lauro succincta poetae
Pegaseo de fonte ueni, quo rore medullas
Et sensus infunde meos. cur hospes amatur
Qui mactandus erat uel cur mactatur amatus?

Diues apud Colchos Phrixei uelleris aurum [p. 78]
Pellis erat seruata diu custode dracone.
Hanc propter pelagi temerator primus Iason
Uenerat ut rutilas subduceret arbore lanas.
Ut Scytha conspexit Graiam de littore puppim
Ire per undosum proscissis fluctibus aequor,
Expauit, nam monstra putat: quis crederet umquam
Per freta per rabidas hominem transire procellas?
Barbarus ignaro regi iam nuntius ibat
Quae noua perferret pelagus, sed callidus heros
Solus Iason adhuc uento currente carina
Prosilit in fluctus et littora uisa natatu
Nudatus ceu nauta petit. sed Colchis alumnus
Nuntius ille redit secum comitante iuuenta
Ut nossent quid puppis erat quid uela quid arbor.
Membra uiri mox nuda uident fugientis ad undas,
Quem sequitur directa manus capiuntque pauentem
Et manibus post terga ligant. tunc Iuno Cytheren,
Ut uidit iuuenem Scythicas artasse catenas
Et pauidos fugisse simul cum puppe sodales,
Adloquitur: 'lasciua Uenus iucunda modesta
Blanda potens mitis fecunda uenustas amoris
Pulchra uoluptatum genetrix et numen amantum,
Te diuum regina precor matrona Tonantis:
Est nimis acceptus iuuenis mihi pulcher Iason
Qui gelidum quondam mecum transnauerat Istrum,
Et nunc infelix trahitur captiuus ad aulam

29 medulas *sed altera* l *supra* a *literam appicta est* 32 Phryxei 33 dui 39 tabidas 40 nuntius] Mutius *y* 44 *fort.* Colchus 46 nosset *corr. Buech.* 49 citherem 53 uenustas amoris *corruptum uidetur*

Aeetis immitis forsan mactandus ad aras.
Eripe captiuum retinent quem mille catenae,
Mitte pharetratum puerum, mea Cypris, Amorem,
[p. 79] Igne tuo flammata cadat furibunda uirago,
Discat amare furor, tandem sit blanda sacerdos,
Templa pharetratae contemnat uirgo Dianae,
Despiciat delubra deae. licet immemor exstet
Religionis amor timeant nec fulmen amantes,
Te solam putet esse deam, te numen adoret,
Te metuat metuenda deis, te iudicet unam
Quam mare quam tellus quam numina cuncta fatentur
Imperio subiecta tuo per templa per aras
Esse uoluptatum dominam, quae corda parentis
Flectis et exutum telo candente Tonantem
Despiciat me saepe iubes nec castus Olympum
Destituat, sit ut imber olor, bacchetur adulter,
Uel quocumque meum placuit mutare maritum.
Non queror: Aesonidem tantum peto filia regis
Nunc amet et laudet, mox hunc suspiret anhelet
Quem mactare parat, soluat ceruice catenas
Torpescens armata manus, cui brachia collum
Circumdent, *et* mucro cadat ieiunus ad aras.'
Finierat matrona Iouis. sic orsa Dione:
'Me Uenerem me, Iuno, decet me, blanda nouerca,
Imperio parere tuo: quid plura loquemur?
Oderunt mea castra moras.' sic fata Cythere
Quaerit amoriferum per tota rosaria natum.
Ille deas ponti telo flammabat in undis
Maternis submissus aquis. Hymenaeus ad illum
Mittitur. huic fluctus produnt fumantibus undis.

59 Aethos *uersui corruptelae nota praefixa est* 65 exstat *corr. Buech. neque enim* licet *particulae indicatiuum Dracontius subiungit nisi in prioribus carminibus quae puerili calamo a grammatico suo nondum satis perpolito scripsisse uidetur atque idem cadit in deliberatiuam. cf.* IX 211 *uid. indicem* 66 timent *corr. Buech.* 74 Destituet *corr. Buech.* 75 quodcumque 76 Esonidem 77 anhelat 88 hunc *corr. Buech.*

Ut pelagus caluisse uidet, ‘hic aliger’ inquit
‘Hic latet Idalius. sed non latet, aequora feruent’
Agnosco stridere fretum ceu Phoebus anhelos
Oceano demergit equos, cum nocte propinqua [p. 80]
Luna uenit stellante polo pendentibus astris.
Huc ades, o lasciue puer, te mater ubique
Quaerit et e cunctis uestrum me misit alumnum
Ut uenias parcente mora.’ sic fatus. at ille
Fluctibus e mediis surgens rutilante capillo
Excussit per inane caput, quatit impiger alas
Ut pinnas desiccet aquis, micat ignis ut astra
Plausibus excussus pueri, per cuncta uideres
Scintillare diem, uolitant super aequora flammae.
Sic ubi puniceos rutilans Aurora capillos
Pectinat ante diem quae mox perfundet Eoum.
Phoenix sola genus seńio lassata uetusto,
Cinnama cui folium nardum tus balsama amomum
Informant post saecla pyram reditura, sepulcrum
Conscendit factura rogos et uerberat alas
Ut flammas adsciscat auis, sic nascitur ignis
Ante alitem ambrosios iam consumpturus odores:
Sic puer Idalius spargebat plausibus ignes.
Piscis aues armenta pecus fera pastor anhelant
Flammigero surgente deo. uolat inde per altum.
Iam uolucer non udus erat, quocumque propinquat
Aut ubicumque fuit, blando feruore uaporat
Quem sequitur uernalis odor, uia pulchra rosarum
Tenditur et uiolas pallentes candida peplo
Lilia distingunt ac florea semita crescit,
Persulcans per inane polos micat orbita florum.
Cypris odoriferos sensit fraglare uolatus:

93 pendentibus] *cf. d. d. II 6* pendula sidera. splendentibus *inutile* 98 niane 103 Pectniat | perfundat 105 Cınnıma *uno calami ductu scriptum et lectu difficilius ideoque deest γ* 106 secla | sepulchrum 108 asciscat *sed* d *litera appicta est* 109 Ante alitem *uix sanum* 113 uolucre$\overset{r}{R}$ uolucrer *γ*

'Natus adest' inquit 'multis iam spargitur aer
Floribus, ambrosio totum respirat odore.'
[p. 81] Dum loquitur lasciua Uenus, uenit ecce Cupido
Fessulus et gremio matris libratur anhelans
Quo sessurus erat. quem protinus illa uolantem
Occupat et crines componit mater Amori
Ac puerum complexa fouet dans oscula nato.
Sic blandita iubet: 'Pyrois mens ignea mundi
Atque uapor fecunde poli, successio rerum,
Affectus natura genus fons auctor origo,
Tu uitae fecunda salus tu blanda uoluptas
Tu princeps pietatis, Amor, te praeduce mundo
Alternant elementa uices et non perit orbis,
Cum pereant quaecumque *creat*, nec sentit ademptum
Successu redeunte nouo. uenit ecce nouerca
In manibus iam Iuno meis supplexque locatum
Quae fuerant optanda tibi: Medea sacerdos
Sacrilega quae uoce solet compellere caelum,
Inuitos accire deos, urguere Tonantem,
Dum precibus elementa quatit mare sidera terras
Naturam turbare simul, tua tela medullis
Excipiat — hoc Iuno petit — iuuenemque Pelasgum
Diligat optet amet cupiat suspiret anhelet.
Sollicitus tamen ista para cautusque memento:
Medeam fixurus eris.' sic fata Dione.
Risit Amor matrisque sinu se subtrahit ales,
Spicula saeua legit quibus olim Luna per umbras
Pastorem flammata tenet, nec sustinet ignes
Luna Cupidineos Solis quae sustinet orbem
Et fratris radiis conceptus lucis adoptat.
Hoc ait ignipotens: 'telo Medea cremetur
Quo Scythicam succendit amor dominaeque fauillas
[p. 82] Excutiam per templa uólans, et uirgo cruenta

127 Pirois *corruptelae signo notatum et uersui* ℞ *nota praefixa est* 132 du|ces uices γ 133 *suppleuit Buech.* 13 uocatur *corr. Buech.* 151 Quos

Adprobet hos arcus dominae plus posse pharetris.
Namque Diana feras, ceruos et figere dammas
Adsolet: hoc telum reges et numina figit.'
Quattuor interea niueas adstare columbas
Cypris amoena iubet, roseis frenantur abenis,
Candida puniceis subduntur colla rosetis,
Nam iuga sunt compacta rosis, fert dextra flagellum
Purpura quod mollis tenuis quod sericus ornat.
Iam uolucer conscendit aues et blanda uoluptas
It comes, amplexus ueniunt, Hymenaeus adhaeret,
Gaudia concurrunt, risus atque oscula pergunt.
Nam licet Idalias sociarint frena columbas
Et iunctae per cuncta uolent, tamen impiger ales
Nunc hanc nunc illam residet gaudetque iugales
Iam releuare suas et se pensare uolatu.
Sublatum propriis persentit in aera pinnis
Aurigam quadriga uolans, iterumque columbas
Adpetit et pharetris conlidit dorsa uolantum.
Nondum per Scythicas glacies stat barbara Colchis
Set iam bruma rigens Arctoi tristior axis
Torpebat concreta gelu, it pinniger audax,
Et magis accessu pueri plaga maesta serenat
Aduentum testata dei, mox tetra fugantur
Nubila, caeruleos excludit flammiger imbres.
Impia iam Colchis iam saeuior ara Dianae
Coeperat ostendi, iam tunc mandante tyranno
Ecce trahebatur ceu taurus pulcher Iason,
Quem sequitur Medea nocens urguetque ministros
Nudato mucrone furens. delubra subibant
Iamque propinquabant aris. sed numen amantum [p. 83]

154 effigere *corr. Buech.* 161 aues *corr. ex* auis 165 uinctae. iunctae *γ* 167 uolatum *corr. Buech.* 170 concludit *corr. Buech.* 172 Et iam *corr. Buech.* 173 coacta gelu et *corr. Buech.* 177 *ante* Colchis *literae conspiciuntur* coch *sed lineola obducta deletae* 179 centaurus *corr. Buech.* 180 ministras *corr. Buech. cf. u. 261* 182 sic *corr. Buech.*

Furtim templa petit, sonuerunt tela pharetris,
Exultat gauisa nimis Medea sacerdos:
Telorum strepitum castae putat arma Dianae
Increpuisse tholo, credit sua uota sacerdos
Ante preces audisse deam. mox numen adorans
'Omen adest' inquit 'Triuiam te, Luna Diana,
Confiteor perstans, heres Proserpina mundi,
Nam tria regna tenes: tu caelo Cynthia regnas,
Uenatrix terrena micas, capis atria Ditis,
Tempora distribuens, regnis et cursibus apta:
Iam grates audita loquor. iacet hostia templis
Per fluctus aduecta tuis.' sic fata per aras
Uirgo cruenta molam perfert. at mystica nutrix
Fessa licet tremebunda gemat, tamen ipsa iacentem
Tendere colla iubet uel pectora prona supinet.
Ergo peregrinus cum iam uersatur Iason,
Forte oculos per tecta leuat, uidet ecce uolantem
Atque salutantem puerum. sed nauta precatur
Murmure sollicito numen quod mundus adorat:
'Si caelum si terra tui sunt, alme, triumphi
Uel quidquid natura creat, si sanguinis expers
Mortis et infaustae, sed sunt tantum hostia flores
Matris et insertae pendent per templa coronae
Sanguine uirginei tantum contenta pudoris:
Eripe me his inuicte malis. ego uictima seruor
Atque utinam seruer, iaceo feriendus in aris.'
Audiit ignipotens, hominum nam murmura sentit,
Et ridens gauisus ait: 'pirata decore,
Quid metuis quem fata manent, cui uita superstes
[p. 84] Restat adhuc, quem regna petunt, cui pellis amata
Imminet et coniunx dabitur Medea sacerdos?
Sed memor esto mei ne te fortuna superbum

183 *fort.* tecta (*Buech.*) 188 niquit 189 Confidit eo *cui uoculae corruptelae nota addita est* | mondi 204 tamen *corr. Buech.* 206 *cf. Ualer. Max. II 6 15* 207 me *non extat* γ | ergo γ 208 seruar 211 cum *corr. Buech.* 212 amata *corr. ex* aurata *uersui corruptelae nota praefixa est* 213 coniunx

Reddat et incipias iterum ceu nauta uenire.'
Dum loquitur pinnatus Amor, iam uirgo leuabat
Destricto mucrone manum. captiuus Iason
Exclamat: 'succurre Uenus, succurre Cupido.
Iam ferior, Medea ferit.' sic fatus. at ille
Ignea sidereo componit spicula neruo,
Misit arundineum per flammea cornua ferrum,
Stridula tela uolant: rapiunt praecordia flammas,
Corda calent oculique labant, suspiria rumpunt,
Marcida funereum laxauit dextera ferrum.
Sed nutrix mirata moras 'dic uirgo quid haeres?'
Increpat 'ecce feri. fibrae rapiantur et exta,
Consultum det fata iecur. Medea moraris?
Occidimus. torpescit iners antistita Phoebes
Permixto pallore rubens, non lumina uibrat,
Non furit aut tremuli strident in murmure dentes.
Cur homicida uacas et stas rea? sed rea non es
Si fueris homicida magis. cur explicat artus
Aut tangit cur saepe caput, quid spirat hiatus
Oris et ad zonam digiti mittuntur inermes?
An magus est pirata iacens et sacra Dianae
Murmure sollicito prohibet soluitque profanus?'
Dixerat et gladium dextrae reuocabat inerti
Impia turpis anus. rursus conclamat Iason:
'Uictima sum, pereo, iugulis male mucro minatur.'
Pinnatus subrisit Amor rursusque sagittas
Iecit et ardentis nutantia corda fatigat.
Aestuat interea sacris repetita sacerdos [p. 85]
Ignibus. effatur: 'non est haec uictima digna.
Non torta ceruice iacet, male palpitat artus,
Erigit impatiens et saucius ante dolorem,
Sanguine membra carent. iam non erit hostia grata

215 Reddet et incipies *corr. Buech.* 226 rapiuntur *corr. Buech.* | ęxsta 227 Consultrun consultum *γ* 228 topescit tepescit *γ corr. Buech.* | niers | Antistia 230 tremulis 231 sed stas *corr. Buech.* 232 fueris *corr. ex* fuerit 235 iacens *corr. ex* nocens 237 nierti 246 *cf. Orest.* 879

Quae sicco mucrone cadet.' conuersa sacerdos
Ad iuuenem: 'dic nauta fugax, pirata nefande:
Est consors matrona decens an caelibe uita
Degis adhuc nullumque domi *tibi* pignus habetur?'
'Solus' ait captiuus 'ego, mihi pignora nulla
Coniugis aut sobolis.' dictis gauisa uirago
Blanda refert: 'uis ergo meus nunc esse maritus?'
'Seruus' Iason ait 'tantum ne uita negetur
Te precor et dominam fateor.' sic fatus. at illa
Rumpit uincla iubetque uiro suspendat ab aris
Ut facinus purget proprium. uocat ipsa maritum
Uestibus indutum Tyriis quas sericus ambit
Mollis et in medio fuluum distinxerat aurum,
Blattea puniceo radiabant stamina filo.
Expauit nutrix, omnes stupuere ministri.
At puer ignipotens uictor per templa triumphat,
Nudus ludit Hymen, mollis lasciuia saltat,
Blanda libido coit, simplex affectus inhaeret,
Ludicra puniceis resonabant oscula labris,
Dant faciles plausus concordia gratia lusus:
Sponsus Iason erat gaudens et sponsa sacerdos
Ad thalamos post templa ruit. tunc pronuba Iuno
Adfuit et grates Ueneris facunda canebat.
Ecce triumphantes ingratia dura iugales
Consequitur gressu consors, obliuio iungit.
[p. 86] Marcidus interea domitis rediebat ab Indis
Liber anhelantes residens post proelia tigres,
Quem sequitur iucunda manus saltare parata
Ebria pampineis miscens uestigia thyrsis.
Sensit amoriferum Scythicam fixisse sagittis
Et uolucrem puerum populatum templa Dianae:

248 dignata 250 *lacuna indicata est etiam y* 256 iuuenique *corr. Buech.* | uirgo | suspendit *corr. Buech. corrupte-*
s
lae nota uersui praefixa est 258 quam 260 Blátea 267 *ante* sacerdos *repetitum* saceo (*initium literae* d) 268 ducit et hunc *corr. Buech.* 269 *malis* Ueneri 271 gressus *corr. Buech.* 275 tyrsis

'Illo iam gressus' dixit 'conuertite tigres,
Estis opus, mea turba, deo. properate ministri.
Pinniger Idalius minor est sine munere nostro.'
Dixerat et Scythiam Bacchus iam sponte petebat.
Iam uenit ad Colchos, iam se Semeleia iungunt
Agmina, Bybliades saltant Bacchaeque rotantur.
Uenatu interea rediens delubra petebat
Plectriferi germana dei, mirata repente
Quod sileat templum, subito quod sparsus ubique
Ambrosius sic fraglet odor. sonuere per aures
Fescennina deae. pulchrorum uota geruntur:
Iungitur Aesonidi fulgens Medea marito.
Erubuit doluitque simul: 'non omine fausto
Coniungatur' ait 'nec prospera flammea sumat.
Displiceat quandoque uiro cui turpiter audax
Sacrilegus processit amor, sed iustius opto:
Perfidus egregiam contemnat nauta iugalem,
Dulcior affectus uel amara repudia mittat.
Funera tot uideat fuerint quot pignora mater,
Orba parens natos plangat, uiduata marito
Lugeat et sterilem ducat per saecula noctem.
Aduena semper eat, se tanti causa doloris
Auctorem confessa gemat.' sic fata Diana
Tristis abit, delubra tacent, sacraria maerent,
Sanguine templa carent, nutrix tamen atria tantum [p. 87]
Templorum seruabat anus: haec anxia crimen
Uirginis et raptum deflebat maesta pudorem.
Qualis in exhaustis per sordida tecta ruinis
Strix nocturna sonat rostro stridente per umbras
Qualis et horrendus funesto carmine bubo
Conqueritur deflenda gemens dum tristia maestus

281 uacuus *corr. Buech. malis* currus *uel simile quid* 283 Bibliades 284 peteba[t]n 289 Esonidi 291 Coniugatur coniungatur *y* 294 nata 296 mater *corr. ex* matri 298 noctem *corruptum uidetur.* uitam *proposuit Buech.* 299 sit tanti 301 abijt | tacent nutrix tamen atria tantum *sed supra scriptum* sacraria maerent. *item y* 307 bufo *corr. Buech.*

Funerea sub nocte canit, sic anxia nutrix
Ingemit et tremulas diffundit maesta querellas.
Nuntius interea maesto uolat ore satelles
Ad regem subuectus equo, natamque tyranno.
Indicat ignoto passim nupsisse marito.
Expauit genitor. sic quondam tristis Agenor
Concidit Europae senior fraudàtus amore
Cum nesciret adhuc generum meruisse Tonantem.
Ira dolor numen pietas iniuria regnum
*Concuti*unt franguntque uirum, iubet arma ministris,
Coniugii nam fama ducem rapiebat in enses.
Cum poenas mortesque parat, uenit Indus ad aulam
Liber et egregia compressit uoce furentem:
'Sic tibi, rector' ait 'mentem possedit inanis
Relligio? sic pignus amas ut tela parentur?
Quid furis? exspecta dulces de prole nepotes.
Uirginitatis onus melior tolerare sacerdos
Non potuit, feruescit amans: et casta Diana
Pastorem confessa uirum.' haec Liber aiebat.
Mulcentur iam corda ducis natamque tyrannus
Purgat et extemplo Medeae laudat amorem.
Sic meruit ueniam generum confessus Achilles,
Sic pater ignouit Lycomedes pectore natae,
[p. 88] Et Pyrrhum suscepit auus gremioque nepotem
Fouit et ad Troiam post crimina misit Achillis.
Ut Scytha mollitus blanda pietate mitescit,
Mox iubet ut generum uel pignus regis ad aulam
Deposito terrore uocent. tunc regia lauro

317 *sqq. eodem undenarum circa literarum interuallo a margine reuocati sunt. suppleuit Buech.* 317 *an* regni? 319 rapiebant rapiebat *γ* 324 Qui *corr. Buech.* 227 *tolerabile fortasse* agebat (*Buech.*) 328 *ante* natamque *leguntur* nant *sed expuncta.* nautamque *scribas oportet nisi* amorem *significare* amatum *sumas* 331 innotuit Licomedes 333 Achillis *corruptelae signo notatum est* 334 *fort.* tepescit *Buech.* 336 rogent *corr. Buech. ante* lauro *signum omissionis conspicitur quo adiunctum est quod in margine legitur* electio (*fort.* electro)

Cingitur et postes soceri pia serta coronant.
Mox thalamos subiere pares, laetatur Iason
Sponsus et in castris Ueneris Medea triumphat.

Quattuor interea Phoebus transegerat annos,
Sed natos Medea duos fecunda marito
Ediderat, cum nocte iacens suspirat Iason.
Nec gemitus latuere magam: ‘quam, callide, fraudem
Quodue nefas moliris?’ ait ‘non fallis amantem.
Dulcia saepe uigil contrectans pectora coniux
Agnoui quia furta paras quia mente fugaci
Infaustum quodcumque cupis: secreta polorum
Cognosco, si morbus erit, si bella parentur,
Si pluet aut flamma caelum rutilante coruscet,
Et tu Medeam credis quia fallis, Iason?’
Tunc sic Aesonides stimulet quae cura medullas
Indicat et pellis causas uel tempore tanto
Quod lateat socios qui iam sic regnat amicus,
Consumptum quem morte putant planguntque parentes:
‘Optarem reuidere meos iterumque reuerti
Ad thalamos, regina, tuos, monstrare Pelasgis
Quid coniux quid fata ualent.’ Medea marito
‘Iam pariter pergamus’ ait ‘sic aurea pellis
Tollitur ut lateant uastum mea facta draconem.’
Dixerat et stratis rapitur sub nocte silenti.
Astra uocans et signa ciens iubet illa Soporem
Ad nemus ad pellem uel templum Martis abire: [p. 89]
Dormierat serpens, pellis subtracta marito
Traditur et pariter fugerunt fratre necato.
Accipiunt natos et singula pignora portant.

338 laetatus *corr. Buech.* 343 Ne 349 coelo *corr. Buech.* 351 Esonides | forma *corr. Buech.* 353 quia 354 Consumptumque *cui corruptelae signum additum est* 355 Optarem] *supra* m *literam corruptelae nota picta est* 357 *fort.* uota *Buech.* 359 Tollatur | sata 362 ad pellem] *fort.* ac *Buech.* 365 *fort.* secum

Uentum erat ad Thebas, pellis datur aurea regi.
Miratur rex ipse Creon, laudatur Iason
Quod freta quod terras sic felix praedo uagetur.
Regis nata decens fuerat pulcherrima Glauce
Iam cui uirginitas annis matura tumebat:
Haec ubi conspexit iuuenem, flammata nitore
Aestuat et laudans alieni membra mariti
Optat habere uirum. sonuit genitoris ad aures.
Tunc rector Thebanus ait: 'si Iuppiter auctor,
Si Lachesis, si fata iubent, nil ipse morabor.
Progenies mea turpe cupit: fortuna fauorem
Praestet et innumeri laudent per saecla nepotes.
Uirgineo dabitur pellis cum dote pudori.'
Finierat senior. uotum cognouit Iason
Et grates elatus agit. praecepta tyrannus
Diffundit per regna nocens, inuitat iniquus
Ut ueniant ad uota duces. dum festa parantur,
Cognouit Medea nefas nec tardius illud
Credidit, ingratum nam senserat ipsa maritum.
Ante diem tamen illa dolens cum cerneret aulam
Et regis feruere domum, cum magna parantur
Prandia, uenturi mittebant praemia reges,
Signorum cursus et plenae cornua lunae
Captabat Medea furens. iam clauserat orbem
Cynthia sidereis transcendens saltibus astra.
Mox Colchis se spargit aquis, et sulphura lauro
[p. 90] Cum taedis fumant, purgabat membra sacerdos,
Et campum secreta petens ubi mille sepulcra
*Ad*stabat deiecta oculos confessa reatum,
Et Lunam manibus tensis cum uoce precatur:
'Astrorum princeps, signorum gratia fulgens
Et caeli stellantis honos, caliginis hostis

372 Aestum et *corruptelae nota uersui praeposita est* 380 elatus[ec] aigt agit γ 382 sexta γ 384 nec *corr. Buech.* | ipsa[e] 387 Premia uenturi *corr. Buech.* 392 fumans *corr. Buech.* 393 sepulchra 394 Stabat *corr. Buech.*

Ac nocturnorum triplex regina polorum
Atque tenebrarum splendens patrona mearum,
Cui cancer domus *est* ora clarissima mundi,
Brachia contorquens stellis quae mense peragras
Quod Phoebus radians toto uix explicat anno,
Corporis et dominam uerax quam turba fatetur,
Tu nemorum custos tu mors pinnata ferarum,
Ursus ceruus aper pantherae damma leones
Retia cum ueniunt aut cum uenabula uibrant
Ante necem tua praeda iacent: te tertius heres
Participem regni consortem iuris amari
Optauit mundumque dedit tibi dona secundum,
Sub tua terribilis rapiuntur sceptra tyranni,
Diues pauper inops raptor pirata sacerdos
Aduenient sub lege pari, non sorte sub una:
Tu punis post fata reos et uiscera saeuo,
Persephone, das nostra cani, post regna barathri
Quae uultum mutare soles uisura Tonantem:
Da ueniam, Medea precor, cum clade suorum
Non decet ira deos. mereor pro crimine poenam,
Te feriente tamen, non ut mendicus Iason
Sit uindex, regina, tuus, qui criminis auctor
Ipse fuit. miseram solus non puniat oro
Qui mecum feriendus erat. cuicumque iubebis
Colla paro feriat: tantum ne uirgo Creontis [p. 91]
Discidium pariat nautam ductura maritum.
Exaudi famulam, dolor est, non zelus Iason.
Quinque dabo inferias — sat erunt pro crimine nostro —
Inlustres animas, niueam cum Iasone Glaucen,
Mortibus amborum regem super addo Creonta
Et natos miseranda duos, mea pignora, supplex

400 domus ora *fort. aliud quiddam in* ora *uerbo latet* 401 stellisꝙ mense 405 pantere 413 *cf. Lucan. VI 699. 700* 414 baratri 418 mendicus *uix sanum.* mentitus? 423 parat 425 dabos dabo *γ* | erint 426 animae | Glaucem

Offero sacrilegos nostro de corpore fructus
Ne prosit peccasse mihi.' sic fata sacerdos
Suspexit: tonuere poli, nec Luna uidetur
Sic tauros urguere suos sed cursibus astra
Ignitis responsa dabant. gauisa sacerdos
Uertit ad infernum gemitus regemque barathri
Secura iam uoce ciet Furiasque precatur:
'Iam pie rex Erebi qui formidabile regnum
Mortis habes, quem terra premit, qui funera mundi
Excipis et tantis non exples luctibus aulam,
Anguicomae uos quoque deae quibus impius horror
Turpia uipereae funduntur membra cerastae,
Plurimus ora tegit pendens de uertice serpens
Et sinuant orbes per pallida colla dracones:
Si manibus laniata meis mala uictima uestros
Ad manes peruenit homo, si uiscera matris
Uos propter scindens homines in uentre necaui,
Nunc nostras audite preces. regnator Auerni,
Crastina cum Glauce ueniet nuptura marito,
Mox Furias admitte tuas, properate sorores
Tartareae. Thebis iterum iam uota geruntur,
Currite, per thalamos Iocastae frater et heres
Coniungit natam. gens *hacc* est uestra. dicabit
[p. 92] Mortibus impietas, affectus funera praestent.
Cur mora? nam nihil est quod non me exaudiat umquam.
Uirginitas si casta placet, retinere pudorem
Si libet et numquam contagia blanda mariti
Quaeritis, innuptae nuptam exhorrete sorores.
Si Furias saeuire precor nec sponte nocetis,
Non estis Furiae, nomen mutate domosque,
Ponite serpentes, alienas reddite flammas
Et puerum Ueneris quem iam tempsistis amate.'

431 non iure polos *quod posui temptauit Buech.* 434 baratri 436 *malis* impie | herebi 441 Plurimis *γ* 450 Iochastę 451 genus est *corr. Buech.* 452 praestant *corr Buech.* 453 me non exaudiat 458 *cf. Orest.* 487 460 aetate *cui corruptelae nota addita est*

Dixerat et terra strepitum tremibunda ciebat,
Quo steterat Medea loco telluris hiatu
Finditur. attonitas inclinat cautior aures
Et surgens 'audimur' ait 'nam terra tremescit,
Uerbera plaudentum resonant per inane sororum,
Sibila uipereis uibrant sub dentibus angues.
Res melior tempusque monet redeatur ad urbem,
Ante tamen fluuio corpus mergatur et undis.'
Quod maga digrediens mox perficit et petit urbem.
Exilit interea tecturus Lucifer astra
Puniceo prouectus equo rutilusque micansque
Concusso de crine iubar diffundit in orbem
Flammigeri roseas praecedens solis abenas:
Coeperat aula ducis strepitu resonare clientum.
Iam Phoebus scandebat equos et luce rubebat
Post noctem uentura dies, iam tecta Creontis
Regibus implentur, iam proxima uirgo marito
Sederat et tabulas calamo sulcabat Iason.
'Conuentum pactumque' sonat 'signate tabellas'
Horrida Tartareo ueniens de gurgite uirgo
Tisiphone signumque premit gauisa Megaera,
Allecto testis ceras adamante notauit, [p. 93]
Anguibus horrendis per regia tecta flagellant.
Interea Medea nouam formare coronam
Coeperat et niueis miscebat sulphura ceris:
Pix et stuppa ligat, species dat quattuor artis
Mascula tura cremans, sterili suffire cypresso
Cura fuit cyproque ligat quod naufraga puppis
Perdiderat, cristata manus sancire iubetur,
Lambere caeruleis permisit serta cerastis.

461 spatium *corr. Buech.* 462 hiatus *cf. Orest. 473* 465 niane 466 Sibyla 471 preuectus *corr. Buech.* 472 ni 475 ruebat *corr. Buech.* 479 Conuectum *y* | sonant | signat *corr. Buech. post* signat *crux appicta est quae eadem ante uersum conspicitur* 481 Tesiphone 482 Allectos 484 *ante* coronam *literae conspiciuntur* no *sed expunctae* 487 *Buech. uoluit* cremat 488 *fort.* curauit | *ante* puppis *leguntur* cypus *sed expuncta*

Exitiale rapit mox praemia tetra uenenum
Atque aurum mentita nocens radiare corona
Creditur et gemmas flores imitantur iniqui.
Dum munus Medea parat haec funera Glaucae,
Processit roseis sol mundum amplexus habenis.
At maga sulphuream ponens ad busta coronam
Haec ait: 'o mundi facies pulcherrima Titan
Naturam feruore tenens elementa coartans,
Ne dispersa fluant aut mundi machina mergat,
Stelligeri iubar omne poli, quem sphaera polorum
Sustinet et prohibet rutilam plus ire per aethram,
Dum contra rapis axe rotas et colligis ignes
Ipse pias animas mites et claudis in aeuum
Orbe tuo, miserere tuae, deus optime, nepti.
Insidant haec serta comis et uirginis ora
Digna corona premat: sint, inquam, regis in aula
Munera nostra rogi, dent praemia tanta sepulcrum,
Ignea mors rapiat sponsum cum paelice busto.'
Sic effata minax Solis mox numen adorat.
'Tempus *ad*est, pergamus' ait. sic fata coronam
Tollit et insontem fingens ad tecta Creontis
[p. 94] Uenerat, oblata sponsae dat serta puellae:
'Accipe uirgo libens auratam fronte coronam
Quam captiua dabo, qualem mea pignora sumant.'
Dixerat et capiti quod iam diademate regni
Splendebat fera serta locat. laudata recedit
Colchis et infaustas uomuerunt munera flammas.
Has radians nam Phoebus alit. iam creuerat ignis,
Uritur ingratus usta cum uirgine nauta,
Cum genero nataeque parat succurrere rector

491 repit *corr. Buech.* 494 munera *corr. Buech. cf. u.* 592 | Glauce 495 *ante* amplexus *praefixum legitur* q 499 *Buech. mauult* uergat 501 prohibes 503 mi^t^tis *quod posui temptauit Buech.* 507 dant *corr. Buech.* | tanta] *cf. supra* 491 | sepulchrum 508 pelice | busta *quod aegre defen-das oppositionis nomine* 510 Tempus est *corruptelae signum interpositum* 511 et] *fort.* ut 513 auratam in fronte *del. Buech.* 516 Spledebat splendebat *γ*

Uritur ipse Creon. rogus est mox aula tyranni.
Diffugiunt omnes populi conuiua ministri,
Saltantum fugere chori. nam festa canentes
Ambusti lamenta sonant nec tympana plausu
Percutiunt, sed turba gemens hinc inde lacertos
Uerberat et flentes sed non sua funera plangunt.
Stabat sola nocens necdum satiata sacerdos
Nec secura tamen: numquam sic posse uenena
Credidit aut precibus tantum seruire furores.
Sed postquam solos quos iusserat ignis adussit,
Tunc natos furibunda premit. nam Mermerus insons
Et Feretus matrem blanda pietate uocabant.
Ut flammas uitare queant, infantia simplex
Affectu petit ipsa necem uel sponte pericla
Quaerit inops, passura necem mucrone parentis,
Ignari quae mater erat quid saeua pararet.
Tunc genetrix furibunda manum suspendit et ensem
Ac fatur: 'Sol testis auus, Sol Persice Mithra,
Luna decus noctis, Furiae, Proserpina, Pluton:
Accipe Sol radians animas, tu corpora Luna
Nutrimenta animae, fundit quem mucro cruorem
Sumite uos Furiae, noctis rex exigat umbras. [p. 95]
Spiritus in uentos   satis est punisse nocentes
Insontesque simul. miseros hoc ense necabo
Quo genitor feriendus erat, nihil ipsa dolebo
Si ingrata maneat nullus de gente superstes.'
Haec ait et geminos uno simul ense nouerca
Transegit pueros. quos sic portabat ad arcem —
Ut proceres uidere nefas, timuere cruentam

530 adusit   531 Mermerus] *supra alteram* r *literam crux picta est*   532 ferentes *ante uersum crux conspicitur*   533 queat *corr. Buech.*   534 *post* necem *legitur* mucrone parentis *sed expunctum*   535 *post* necem *legitur* uel sponte pericla *sed expunctum*   538 Af Ac fatur | persce mi$^{ni}_{\wedge}$tra   perste ministra *y. corruptelae nota uersui praefixa est*   543 *uersus excidisse uidetur post* inuentos *quamquam in codice lacuna nulla est* | satis est] *fort.* satiet   546 meurat

Et doluere simul — ceu quondam baccha Lyaei
Saeua caput iuuenis mater gestabat Agaue.
'His' inquit Medea 'rogis ubi pulchra nouerca
Et pater ipse Creon uel perfidus arsit Iason
Uos, miseri, commendo mei.' sic fata minorum
Corpora saeua parens funestos mittit in ignes
Et currus metuenda petit. uenere dracones
Uiperea ceruice iubas et colla leuantes
Squamea, cristato radiabant uertice flammae.
Currus taeda fuit, sulphur iuga, temo bitumen
Et rota cypressus, solidarat frena uenenum,
Plumbeus axis erat raptus de quinque sepulcris.
Occupat illa grauem funesto corpore currum,
Ire Furor residens tetros simul imperat angues,
Tolluntur celeres, mox se tellure leuabant,
Iam nutant per inane rotae hinc inde labantes,
Aera saeua petit uolitans quadriga ueneni.
Et poterat fuscare diem, corrumpere uentos,
Ni Phoebus rubuisset auus de crimine neptis
Et totum meliore coma perfunderet orbem.
Saeue furor, crudele nefas, infausta libido,
Impietas, furiae, luctus, mors, funera, liuor,
[p. 96] Linquite mortales miseroque ignoscite mundo,
Parcite iam Thebis, diros cohibete furores.
Inde uenit quodcumque nefas. sic Cadmus *aratro*
Obruit infaustis crudelia semina sulcis,
Inde seges ferrata micat, uel Martis anheli
Heu male conceptis praegnatur terra uenenis:
Emicuit galeata cohors aciesque nefanda,

551 testabat *corr. Buech.* 554 meis 560 cipressus 561 sepulchris 563 furore sidens (*corr. ex* sident) *corruptelae nota uersui praeponitur* γ 564 mox e tu tellure 565 lauantes 566 uenena ueneni *temptauit Buech.* 569 profunderet *corr. Buech.* 571 *ante* furię *legitur* fur *sed expunctum* 572 Liquite 573 *cf. Orest.* 970 574 *fort.* hic | aratro *alia manus in margine adnotauit* 576 *fort.* Unde | ferra *supra* rr *literas corruptelae signum, supra* a *literam lineola uerticalis appicta est* | anheli *corruptelae signo notatum est* 578 *ante* galeata *uides* gala *literas et inceptam* t *subtractamque lineolam*

Rumperet ensiferis cum ferrea messis aristis,
Insurgunt clipeis, rapiunt simul arma phalanges
Mortibus alternis et mutua fata minantur,
Fraternumque nefas qui gessit uindicat ensis.
Inde Athamas miserandus erat, miser inde Palaemon,
Inde Iocasta fuit, turpis fuit Oedipus inde,
Inde Eteocles erat frater Polynicis et hostis,
Et Polynices inops germani morte peremptus.
Blanda Uenus, lasciue puer, Semeleie Bacche,
Parcite uos saltim Thebis, quibus auctor origo
Aut soboles praeclara fuit: tibi mater, Iacche,
Thebana de stirpe tuam Thebisque, Dione,
Harmoniam nupsisse ferunt: pro munere Thebae
Et pro tot meritis sic funera tanta merentur?
Crimen erit genuisse deos, iam Creta Tonantem
Depositum nutrisse neget, iam Delos in undas
Fluctuet et paueat partus meruisse deorum,
Te Uenerem freta uestra negent, abiuret Amores
Cyprus et Idalium pigeat coluisse Dionen,
Uulcanus Lemno, Iuno spernatur ab Argis,
Gorgone terribilis Pallas damnetur Athenis,
Sitque nefas coluisse deos, quia crimen habetur
Relligionis honos, cum dat pro laude pericla.

583 Inde talamas *uersui crux praefixa est* 585 Thocles | Polinicis 586 Polinices Poliniceps *γ* | ferentus *corruptelae signo notatum corr. Buech.* 587 Semeleiae bacchae 588 saltis 589 mater iacet 590 Tartara (*corruptelae signo notatum*) tibi (*ut uidetur*) Diones *quod scripsi proposuit Buech.* 591 Armonia *supra* r *literam corruptelae nota conspicitur* 596 adiures 597 Cypris | Dionem 600 Sit nefas *corr. Buech. sub finem scriptum est* Τέλος. *desinit codex Neapolitanus*

Satisfactio Dracontii.

Rex immense deus cunctorum conditor et spes,
Quem timet omne solum, qui regis igne polum,
Sidera flamma dies quem sol nox luna fatentur
Auctorem, dominum saecula cuncta probant:
Principio seu fine carens et temporis expers
Nescius alterni nec uice functus agis,
Omnia permutans nullo mutabilis aeuo
Idem semper eris qui es modo uel fueras.
Nil addit demitque tibi tam longa uetustas,
Omnia tempus habent, nam tibi tempus abest.
Qui mentes hominum qua uis per singula ducis
Et quocunque iubes dirigis ingenia,
Qui facis iratus homines contraria uelle
Propitiusque iubes ut bona cuncta gerant.
Quicquid agunt homines, bona tristia prospera praua,
Hoc fieri ammittunt ira fauorque dei:
Hoc tua uerba probant Moseo dicta prophetae,
Quod duraturus cor Pharaonis eras.
Sic mea corda deus nostro peccante reatu
Temporis immodici pellit ad illicita,
fol. 144r Ut qui facta ducum possem narrare meorum,
Nominis Asdingui bella triumphigera,
Unde mihi merces posset cum laude salutis
Munere regnantis magna uenire simul,
Praemia despicerem tacitis tot regibus almis,
Ut peterem subito certa pericla miser.
Quis nisi caelesti demens compulsus ab ira
Aspera cuncta petat, prospera cuncta neget?

incipit codicis Uaticani fol. 143v sine indice 1 đc | condictor *corr. Areualus* 15 Quidquid *Sirmond et Areualus conferas Iuuenalem I 85* 16 admittunt *Areualus* | fabor *corr. Areualus* 21 qui]i *in rasura ampliore* 25 Proemia 26 Et *sed* e *in rasura recentiore. uidetur fuisse* u 28 negat *corr. Areualus*

Irascente deo mentes mutantur et artus,
Uertuntur sensus uertitur et species:
Persarum regem Babylonae regna tenentem
Post decus imperii quis neget esse bouem?
Et diademalem turparunt cornua frontem,
Mugitus pecudis uerba fuere duci:
Agricolam timuit post Parthica regna bubulcum
Summisitque pauens regia colla iugo,
Errauit per prata uagus mala gramina pastus,
Et qui homo bos fuerat de boue factus homo est.
Liquit et antistes senior pater ille Iohannis
Elinguisque fuit uoce tacente silens.
Ast ego peccando regi dominoque deoque
Peior sum factus deteriorque cane.
Uulnera uexati curat sua lingua molossi,
Heu mea quippe mihi uulnera lingua dedit.
Sed qui restituit pecudis post membra tyranni
Ut fieret rediens ungula fissa manus,
Quique reformauit tacitae modulamina linguae
Ne mutilante sono uerba ligata daret,
Ipse meo domino deus imperat atque iubebit
Ut me restituat respiciatque pius,
Seruet aui ut laudes dicam patriasque suasque
Perque suas proles regia uota canam.
Culpa quidem grauis est uenia sed digna reatus
Quod sine peccati crimine nemo fuit:
Nam deus omnipotens potuit cum conderet orbem
Tristibus amotis gaudia sola dare,
Sed diuersa creans et discordantia iunxit
Et bona mixta malis et mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miscuit auctor

31 *in margine manus recentior adscripsit* Nabuchodn 38 homo *om. Sirmond* 39 Liquit] *inter* i *et* q *literas unius uel duarum literarum spatium est* | senior] i *et* r literas *manus recentior in erasarum locum scripsit. fort. Dracontius scripsit* sancti *cf. d. deo* II 676 uerus *interpolati et Areualus* 45 tyrannum *Sirmond* 53 uenia *i. e.* ueniam

Humida cum siccis ignea cum gelidis.
Littera doctiloquax apibus cognata refertur,
Quis datur ut habeant uulnera castra fauos:
Cera dat ingenium pueris, primordia sensus,
Inde fit ut prosit littera uel noceat.
Aspis habet mortes habet et medicamina serpens,
Uipera saepe iuuat, uipera saepe nocet.
Cerua salutares pasto serpente medellas
Conficit et pellunt ipsa uenena neces.
Materies ferri simplex et noxia fertur,
Impius inde nocet, rusticus inde placet.
Ipsa parit gemmas pretiosos terra lapillos,
Ipsa dat et uepres spinea ligna rosas.
Delicias mortesque parat mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula diuitias.
Aera temperies auris uitalibus aptat
Quae corrupta dies eripit atque animas.
Aspera uel facilis retinet natura uolucres:
Blanda columba auis est, aspera uultur auis.
Nubibus aggestis pluuiae nix grando pruinae
Gignuntur, uicibus igne uapore gelu.
Sol dat temperies, species gratissima mundi,
Cuncta creanda parans cuncta creata fouens,
Per quem fetat humus flores et messis aristas:
Sole perustus ager putris harena iacet.
Corpora sol reficit radiis et corpora uexat,
Solibus alternis itque reditque salus.
Omnia nec mala sunt nec sunt bona sidera caeli:
Lucifer hoc docuit, Sirius hoc monuit.
Temperies caeli medium nec possidet orbem,
Nam de quinque plagis uix habet ipsa duas.
Quod caelum quod terra fretum quod purior aer

62 fabos *corr. Areualus* 63 *tacito auctore adhibet Isidorus orig.* V 9 67 medullas *Areualus* medela est *interpolati* 69 *in margine notat* ferro *manus rec.* 74 concula 79 pruina *Sirmond et Areualus*, *at conferas d. deo* I 6 pruinae *Azagrensis* 81 *in margine notat* sole *manus rec.* 88 Syrius 89 *in margine notat* celo *manus rec.*

Non meruere simul, hoc homo quando habeat?
Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos
Ignotumque mihi scribere nec dominum,
Qualis et ingratos sequitur qui mente profana
Cum dominum norunt idola uana colunt.
Israhelitarum populum sic culpa tenebat
Quando deum oblitus flans uitulum coluit.
Dat tamen indulgens ueniam poscentibus auctor,
Si sceleris facti mens rea paeniteat.
Te precor, omnipotens, te quem decet esse benignum
Quem non ulla iuuat ultio sed uenia,
Cuius sancta manus sustentat corda regentum,
Et pius inclinas mox ubicunque iubes:
Te coram primum me carminis illius ausu
Quod male disposui paenitet et fateor.
Post te, summe deus, regi dominoque reus sum
Cuius ab imperio posco gemens ueniam.
Imperet armato pietas tua, prospera mandet
Rex dominusque meus semper ubique pius:
Nec mihi dissimilis quam quod solet esse cateruis
Sit pietate sua, sit bonus et placidus.
Nam tua sunt quaecunque gerit quaecunque iubebit,
Iudiciumque dei regia uerba ferunt.
Exorent haec pauca deum qui mentis opertae
Sensibus aetheriis condita uota uidet.
Ad te nunc, princeps, mea uela retorqueo supplex,
Pectore mente rogans uoce manuque petens:
Da dextram misero, ueniam concede precanti,
Tempore tam longo non decet ira pium.

94 uel dominum *quam posui Sirmondi lectio ab Areualo recepta parum placet. latet fortasse nomen proprium uel* ceu 95 prophana 96 norint *interpolati et Areualus* 99 Et tamen *corr. Buech.* | indulges *Areualus.* indulgens *etiam Sirmond* 105 ullius *corr. Areualus ex interpolatis* | orsa *Sirmond* 112 tua *Areualus* sua *etiam Sirmond* 119 fatenti *Sirmond*

Namque inimicorum culpis ueniale minaris,
Captiuosque tuos deliciis epulas.
Puniat ut sit quod Christus, tu parcis iniquis,
Uindice quo regnas, quo uigilante uiges.
Qui pereunt bello soli moriuntur ut hostes,
Qui superest pugnae uiuat ut ipse iubes.
Captiuus securus agit, solusque rebellis
Formidat mortem, praeda quieta sedet.
Conseruas animas, uictum super ipse ministras
Ne sit uita grauis subripiente fame.
Nemo cadet sub iure tuo sub morte cruenta,
Scit se uicturum qui uolet esse tuus.
Turba rebellantum quotiens orauit in armis
Uinceret aut certe praeda fuisset iners.
Securus sine morte manus dat hostibus hostis,
Nam bene conseruas colla subacta iugo.
Sic leo terribile fremit horridus ore cruento
Unguibus excussis dente minante neces,
Acrius iratus crispato lumine ferri,
Et mora si fuerit acrius inde furit,
At si uenator trepidans uenabula ponat
Territus et iaceat, mox perit ira cadens.
Temnit praedo cibos quos non facit ipse cadauer,
Ac ferus ignoscit ceu satis accipiat,
Et dat prostrato ueniam sine uulnere uicto
Ore uerecundo deiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira
Cum confessus erit crimina gesta reus.
Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem
Qui indulget culpas et ueniam tribuit.
Principis augusti simile est ad regna polorum

123 xp̃r, 125 in hostes *corr. Areualus* 128 preda 133 forauit *corr. Buech.* durauit *Areualus* 141 Ac at *interpolati et Areualus* 143 predo *idem uersus reperitur* VIII 360 146 *malles* deicienti *nisi elisio obstaret Dracontio non usitata* 149 non uis nobis *ex interpolatis restituit Areualus* 150 culpis *interpolati et Areualus* 151 Principis imperium *interpolati et Areualus* | ac *scripsit Areualus. sed* ad *etiam in*

Ut canit ad populos pagina sancta dei,
Sacrilegis referens caelestia iura cateruis
Cinctus apostolica discipulante manu.
Nonne dei praecepta iubent ne sol cadat intrans
Irascente alio sed pius extet homo?
Rex inimicorum iugulis mucrone pepercit
Dauid et hic sceleris certus adulter inest:
Confessus facinus ueniam pro clade meretur
Noxius impune uel sine morte reus.
Insuper et Salomon eadem muliere creatus
Quae scelus ammisit munus honoris habet:
Non fit Abessalon heres de coniuge natus,
Sed sceleris fructus sceptra paterna tenet.
Ecce quid impendit patri clementia parcens
Ut sibi regna daret ut daret et suboli.
Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit
Dum peteret dominum, sed sapientis opem:
Extitit hic prudens quia noluit esse cruentus
Pacificusque fuit consiliique tenax.
Stephanus ante alios lapidum sub grandine martyr
Hostibus orabat sponte suis ueniam.
Haec bona simplicitas praestat ieiuna cruoris:
Uir sine morte gerens nil habet ipse necis.
Caesar ubique potens hosti post bella pepercit,
Et quod erat peius ciuis et hostis erat:
Sponte facultatem redhibens reparauit honores,
Inde uocatus abit dignus honore dei.

interpolatis legitur. uidentur autem post hunc uersum nonnulla periisse, nam in sequentibus de Christo agitur 155 *cf. Paulum ad Ephes.* 4, 26 *Dracontium d. deo* III 599 157 populis *interpolati et Areualus* 160 reus *ex interpolatis Areualus suppleuit. spatium uero in Uaticano codice uidetur relictum esse, cum interpunctionis nota qua disticha singula terminantur post* morte *non conspiciatur* 162 admisit *editum* 163 sit *corr. Areualus. sunt autem* f *et* s *literae difficillimae distinctu* 165 patris *cf. u.* 191 166 ut sibi regna daret et sub *nihil ultra. uid. ad u.* 160. ut daret et soboli *Areualus restituit ex interpolatis* 174 furens *interpolati et Areualus* 177 redhibens parauit *corr. Areualus* 178 obit diuus *proposuit Buech.*

Cuius ab imperio surgens et origine Caesar
Augustus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem est natus de uirgine Christus,
Cuius et emicuit stella per astra poli.
Dux princeps Romanus erat de principe Titus
Si non praestaret dicere saepe solens:
'Perdidimus hac luce diem' si nulla dedisset
Non exoratus praestita supplicibus.
Alter ait princeps modico sermone poeta
Commodus Augustus uir pietate bonus:
'Nobile praeceptum rectores discite post me:
Sit bonus in uita qui uolet esse deus'.
Ecce quid impendit homini clementia simplex,
Ut praestet bona dans conferat atque animae.
Ne facias populum mendacem, qui tibi clamat
Uocibus innumeris 'rex dominusque pius':
Ut uox uera sonat 'dominus', sic uera 'pius' sit.
Orbis in ore uolat puplica merx procerum.
Fama ducum non est bellis collecta cruentis
Ex quibus occurrit saepe reatus atrox
Gloria bellorum, ducibus populisque triumphos
In commune datos diuidit armipotens:
Nam ducibus solis praestat clementia laudem,
Non habet haec comitem participemque negat.
Dicit 'in arma pares fuimus cum principe' miles
'Me pugnante comes, uictor ab hoste redis'.
Nunquid ut ignoscat rector pars militis intrat?
Soli qui ignoscit gloria laudis erit.
Qui fodit, aduersus hostes certamina Martis

181 *Christi nomen sic scribitur ut u.* 123 185 *cf. Sueton Tit.* 8 187 *permirus quidem iste* modico sermone poeta *tamen haud scio num cum Areualo et interpolatis uel* probatus *aut* profatur *uel simile scribendum sit* 195 sonet 197 mos *interpolati* mors. *Areualus* merx *corr. Buech.* 205 instat *scripsit Areualus cum interpolatis* intrat *idem coniecit, id quod legitur in Uaticano codice* 207 fouet *Areualus*

Horrida concurrens uincat in arma fremens:
Rex qui dat ueniam subiecto et temperat iras,
Plus quam turba facit, qui sua corda domat.
Te deus aspiciens effundere nolle cruorem,
Ut sine peccato non sine laude daret,
Contulit absenti terrae pelagique triumphos:
Ansila testatur, Maurus ubique iacet.
Quod pereunt hostes regis fortuna uocatur,
Quod pereunt populi temporis ordo regit:
Nam si debilitas faceret discurrere mortes,
Non caderent puer aut femina sexus iners.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,
Tempora eunt uitae, tempora mortis eunt:
Sex sunt aetates hominum procul usque senectam,
Hae distincta tenent tempora quaeque sua.
Nunquid adultorum strepitus infantia simplex
Uindicat aut fremitus pigra senectus habet?
Non catulaster agit puerilia, non puer audet
Attrectare tener Martia tela manu.
Non furit in Uenerem nondum pubentibus annis
Nec sub flore genae marcidus est iuuenis,
Maturus tractat, gemit et tremebunda senectus
Nescia feruoris uel leuitatis inops.
Nunquid mox natas segetes uiror armat aristis
Floribus aut genitis fructus inest subito?
Nouimus astra poli confectos perdere cursus
Transactasque simul sic repetisse uias.
Tempore luna suo crescit uel deficit orbe,
Cuius ad aetatem plurima lege notant.
Nam luna crescente fretum crementa resumit,
Qua minuente polis est minor unda maris.
Cynthia dum crescit fontes et flumina crescunt,
Haec eadem minuunt Cynthia dum minuit.

208 uincit 213 Consulit *ex interpolatis corr. Areualus* 214 Marus *ex interpolatis corr. Areualus* 218 pueri 225 catulaster *corr. ex* catuiaster *man. rec.* catulastra gerit *Sirmond* 231 uigor *mauult Areualus* 236 *malis* et 239 Quintia 240 qntia

Ipsa medulla latens obseruat cornua lunae,
Obseruant lunae tecta cerebra globos.
Sol oculus caeli radians fuscatur ab umbra
Et tamen ad solitas itque reditque plagas,
Ac recipit facies priscas lucesque resumit:
Damna uel augmentum dant elementa, ferunt.
Alternant elementa uices et tempora mutant,
Tempus habent noctes tempus et ipse dies.
Accipiunt augmenta dies noctesque uicissim,
Amittunt cursus perpete lege poli.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
Tempus et autumnus, tempus habent hiemes:
Uer aestas autumnus hiems redit annus in annum,
Quattuor alternant tempora temporibus.
Omnia cum redeant homini sua non redit aetas,
Sed uelut acris auis sic fugitiua uolat.
Tempora sunt pacis uel tempora certa cruoris,
Otia tempus habent militiaeque labor.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora dant lucrum, tempora damna ferunt.
Nubila tempus habent et tempora certa serenum,
Tempora seruari iussit et ipse deus.
Horam quaesiuit faciens miracula Christus,
Horam sperauit passio sancta crucis.
Ut mi irascaris, qui sim si dignior ira
Tam magni regis iudicer esse tua?
Quando per aetherias aquila uolitante rapinas
Praeda cibusque fuit passer hirundo picus?
Quando fames rabidi quamuis ieiuna leonis
Ut sit adoptauit faucibus esca lepus?

241 obseruat *corr. ex* obscurat *man. rec.* 246 Damna ue lumentũ dantq; *corr. Areualus. malis* dant quae *nisi obstet elisio molesta cf. u.* 38 252 autumnum tempus habet *quod scripsi coniecit Areualus* 255 hominis *corr. Areualus* | sua *corr. man. rec. primitus fuit* uia *uel simile quid* 262 seruare 263 *uid. ad u.* 123 265 Ut mihi irascaris qui sim dignior ira. *quod scripsi proposuit Buech.* Cur irascaris mihi cur sic dignior ira *scripsit Areualus* 267 etherias 268 Preda

Deuorat egregios ingenti corpore tauros,
   Et rapiunt aquilae splendida membra pedes.
Dat semel iratus ueniam post uulnera pardus
   Nec reduces morsus dat feritate pia.
Despicit irasci pastoribus optima tigris,
   Despicit et talpas flammeus ore draco.
Fulmina non feriunt reptantia gramina terris
   Nec modicas salices flamma trisulca cremat,
Sed feriunt celsas pulsantes nubila cedros
   Et montes uastos proxima saxa polo.
Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat:
   Ecce etiam insontes noxia poena petit.
Si ipse ego peccaui, quaenam est, rogo, culpa meorum
   Quos simul exagitat frigus inopsque fames?
Diluuio periere rei sine clade piorum,
   Loth bonus et iustus tollitur ex Sodomis.
Si non humani generis peccata fuissent,
   Unde pium nomen posset habere deus?
Sed quia dat ueniam populis peccata relaxans,
   Per pietatis opus nomen habet placidum.
Si ueniam frater fratri donare iubetur,
   Quid rex subiectis et dominus famulis?
Si iustis solem dominus pluuiasque dedisset
   Nec daret iniustis, quae fuerat pietas?
Non quaerit ueniam qui nil peccasse probatur,
   Nonne manus medici languida membra petunt?
Materiem laudis praebet tibi culpa reorum
   Et titulos famae dat pietatis opus.
Inclitus armipotens, uestrae pietatis origo
   Et doctus genio pronior ad ueniam
'Non homini ignosco' dixit 'sed lingua meretur':

272 membrida *unde* nebrida *uerbum prorsus ignotum efficiendi licentiam sibi sumpsit Areualus.* splendida *proposuit Buech. ceterum totum hoc hemistichium addidisse uidetur man. rec.* 277 Flumina *corr. Areualus cf.* V 312   300 *inter* genio *et* pronior *amplius spatium*

Hic reus et doctus Uincemalos fuerat.
Non laedunt delicta deum, sed laeditur auctor
Ni peccata dolens paeniteat sceleris.
Qui poscit hac lege deum ut peccata relaxet,
Debet et ipse suo parcere ubique reo.
Non semel ignosci dixit lex sancta reatum,
Sed quotiens culpa est sit totiens uenia.
Dicam regnanti domino pia uerba prophetae:
'Etsi peccaui sum tamen ipse tuus'.
Da ueniam, miserere precor, succurre roganti,
Pristina sufficiant uerbera uincla fames.
Sessorem dum carpit iter si cornea pulsans
Ungula concutiat quadrupedantis equi,
Uerbere corrigitur culpa plectente flagello:
Non simul abscisi crura pedesque iacent.

Explicit satisfactio Dracontii ad Guthamundum regem Guandalorum dum esset in uinculis.

302 Uinco malos *uid. indicem* Uincomalus *Areualus* 307 *cf. Matth.* 18 21. 22 *Luc.* 17 3. 4 310 Etsi] et doleuit *man. rec. cf. Sapient.* 15 2 313 *post* si *exigua litura* | palpans *corr. Areualus* 316 abscissi *Areualus* *Ceterum ultimae paginae inde a uersu* 307 *literae partim euanidae difficile leguntur.*

INDEX NOMINUM.

Asteriscus lectionem suspectam aut coniectura restitutam indicat.

SERMONIS DRACONTIANI SPECIMEN.

Nullus ab insidiis locus est qui fraude uacabit V 44 quis nisi caelesti demens compulsus ab ira *Sat.* 27 sol fuscatur ab umbra *Sat.* 243 mater ab undis *Thetis* IX 209 noster Narcissus ab undis II 136

manesque sepulcris abdicas IX 129

natorum turba stipatus abibat VIII 85 non inhonorus eram sed laude redemptus abirem VII 4 sed ne fraudatus abires V 300

ablatiuus fuderat Idalius gremio se forte parentis II 4 insula delubris natorum colla secabat V 146 solo cum mordet arenam V 284 ornatus fronte corymbis VI 67 delphine sedens Galatea minaci VII 151 Thessalus Emathia fratris nutritus Achilles VIII 321 ubi dispersos longo uidet aequore Troas VIII 400 Lacaenam litore non posuit media sed puppe locauit VIII 566 pietas si sancta manebit corpore belligero IX 31 pugnam thalamis exercet IX 59 tu caelo Cynthia regnas X 190 iacet hostia templis X 193 *domus est ora clarissima mundi X 400 qua (Luna) minuente polis *Sat.* 238 reptantia gramina terris *Sat.* 277 — muris depellite fratrem VIII 161 pectore Cisseo rapiatur pignus acerbum VIII 164 gurgite curuato rapiuntur ad astra liburnae VIII 387 extorquet uertice crines VIII 576 subduceret arbore lanas X 35 soluat ceruice catenas X 78 matrisque sinu se subtrahit ales X 145 uenatu rediens X 284 stratis rapitur X 360 *se tellure leuabant X 564

accipiat post crura rotas VII 85 accipiunt *sumunt* X 365

accusatiuus cum uerbis rogandi iungitur Telamona ducem conuentum exposce sororem VIII 226 dum peteret Dominum *Sat.* 168 qui poscit — Deum *Sat.* 305 *cf. Orest.* 533

acris auis *Sat.* 256

ad Cyprum uenientem VIII 573 ponens ad busta *coronam* X 496 infelix ad crimina conscius esse V 71 ad Persas hŏnor est si — IX 80

(pius ardor) adfectus dispensat VIII 114

adiectiua in alis *desinentia* diademalis *Sat.* 33 pastoralis VIII 2 triumphalis V 270 uernalis X 115 uitalis IX 96 *Sat.* 75 iugalis maritalis matronalis mortalis regalis *saepius*
quando fames (leonis) ut sit adoptauit faucibus esca lepus? *Sat.* 270 conceptus lucis adoptat X 149 adoptatae *nouae nuptae* VI 118
hoc pauper adorat *pro simplici* V 167
*hoc uos adsumite fratres VIII 175
*(pius ardor) adfectus dispensat agens alternat utrique VIII 114 nec uice functus agis *Sat.* 6 captiuus securus agit *Sat.* 127 *cf. d. deo* I 536 *uer recreatus agens VII 5
infremerent omnes uno agmine ciues V 245
agnosco *cognosco* X 91
alumnus *seruus* V 55 fauoris alumnus VII 82
nec funus amat sub sole iacere IX 118
Solis amata *amica* II 55
**anacoluthon permirum* II 21 VIII 410
mentes armabat in iras VIII 285
male palpitat artus X 244 moriens tremibundos palpitat artus V 281 *cf. Orest.* 727
aspergant nostrum tua carmina pectus VI 31
te deus aspiciens effundere nolle cruorem *Sat* 211
ast ego VII 69 *Sat* 41 ast ubi VIII 357 400 582 *cf. Orest.* 752

*augur auerrunces sacris (uolucres) VIII 478

iudicium — barathri IX 134 post regna barathri X 414 regemque barathri X 434 *cf. Orest.* 482
barbaris *Vandalis* I 14 barbarus omnis eat V 34
post bella suis *debellato apro* II 94
turbine belligero IX 71
benignus grex *pecus mansuetum* I 4
blanda *amans* X 63

cadauer quem retines iratus adhuc IX 45
caeruleos imbres X 176
albentes canos VIII 589 canos IX 208
cantitare I 2 VII 66
capitolia V 41 celsa VIII 81
horrendus funesto carmine *bubo conqueritur X 307
non catulaster agit puerilia *Sat.* 225
pellis causas *res* X 352
uipereae cerastae X 440 *uide Orest.* 484 *et interpretes Lucani* VI 676
certe legatus adesto VIII 225 aut certe V 170 228 328 *Sat.* 134 sed si de nobis certe cantare placebat II 59
immania cete VII 148 *cf. Verg. Aen.* VI 822
*cetera *aduerbii loco ponitur* VIII 85
ceu *comparationi inseruiens simul et regens enuntiationem* VIII 447
ille (Neptunus) caput barbamque ciet VII 153 terra strepitum ciebat X 461
clausa carceris angusti IX 26

clientum turba superborum V 56 uota clientis ausus habere miser V 59 diuitis obsequio concurrit turba clientum V 180 solamen grande clientum VI 2

*bruma torpebat coacta gelu X 173

uenisse coegit VIII 262

orbem meliore coma perfundit Phoebus X 569

comparatiuus inutilis fortior Hector *saepe* saeuior ara X 177 antistita saeuior aris V 131

ego iurgia diuum compressi VIII 99 egregia compressit uoce furentem X 321

conceptus lucis adoptat Luna X 149

auctorem confessa X 300 *cf d. deo* I 4 te Triuiam confiteor perstans X 189

qui mortibus urbem congeret VIII 163 (Carthago) iacuit congesta ruinis V 113

coniunctiuo cum uerbis rogandi et iubendi iuncto saepe utitur. exempli causa uideas VIII 552 *Sat.* 134 *coniunctiuus alternat cum futuro saepe cf. etiam* IV 52

multis impia constas regibus VIII 138 iniuria constat IX 180

*copletur VII 36

reginam natarum turba coronat *circumdat* VIII 86

corripiuntur Admĕtus VIII 210 *Aeĕtis X 59 ăiebat X 327 *ălitem X 109 *ămens VIII 574 Chrysĕs IX 102 Clŏthŏ VIII 203 dĕtur VIII 314 IX 81 226 *al.* ĕolus VII 144 flăbello VII 30 *cf. d. deo* III 635 *et Draconti uersum d. deo* III *ante u.* 608 *quem e codice Uaticano 5884 Angelus Maius addidit in Noua Bibl. Patr. I 2 p. 164* dentibus adduntur rubicundo labra flabello idŏla *Sat.* 96 *cf. d. deo* II 579 impăr VIII 213 *mĭtescit X 334 Musăgenes VIII 23 Năīdis II 81 nĭtitur V 25 Phoenĭcis V 116 *cf. d. deo* I 653 pĭcus *Sat* 268 senectŭs *Sat* 224 sorbĕre V 212 *tăbescens IV 31 *uĕneat IX 216 uĕniens IX 219 *uenustăs amoris X 53

prouida non credor VIII 159 *cf. Orest.* 707

crementa VI 101 *Sat.* 237

certa crepundia VIII 102

spes crimina ducit V 79

crispare *intransitiue dicitur* VIII 352 412 *cf. d. deo* I 238 *transitiue Sat* 139

per cuncta II 153 VI 65 VII 98 VIII 237 491 X 100 165 *cf. Orest.* 120

regnis et cursibus apta (Diana) X 192 *cf.* X 10

cyproque ligat quod naufraga puppis perdiderat X 488

dantur post terga pharetrae II 73 cadauer per montes per saxa datum VIII 140 (augur) quem fors ad Cyprum dederat per festa dierum VIII 460 *cf. d. deo* I 160 dabis *sines* IX 127

datiuus cum Romanorum Gallis uexilla tulisset V 217 mortes transferre foro V 278 stabulisque refertur VII 87 mox pastor arenis exsiluit VIII 432 hospitio speratus

eat VIII 446 (templum Veneris) cui turba precantum uel conuentus erat VIII 451 conubio seruus ueniam VIII 524 capiti fera serta locat X 515 — Astyanax Danais muro iactatur ab alto VIII 146 — ast ego peccando regi dominoque deoque *Sat.* 41 regi dominoque reus sum *Sat.* 107

quaecunque latens surget de fluctibus imis VII 149 pellere pastorem patriis de sedibus umquam fata uetant VIII 190 raptas de flumine praedas IX 109 de fonte ueni X 29 ueniens de gurgite uirgo X 480 raptus de quinque sepulcris X 561 — de matre uenit, de matre creatur VIII 7 — de fratre maritus (Iuppiter) II 42 meruit de clade triumphum V 218 membrisque salutem membrorum de parte dabit VIII 173 fit felix de sorte mala VIII 334 imperium de clade tenet VIII 335 praestetur de morte salus IX 227 fecit de matre nouercam X 22 *cf. d. deo* III 341 de boue factus homo est *Sat.* 38 dicens de rupe maritum IX 155 — ueniam de prole rogabat VIII 108 consortem sanguinis unam non ualuit rector de rege mereri VIII 284 — sacrilegi de morte Iouem placate VIII 167

ossibus urnas dedignant animae IX 28

deflere *pro simplici* IX 175

deiecta oculos X 394 *cf. Sat.* 146

depositum *expositum* X 594

mater deuota coruscos indulget uultus II 6 sobrietas per cuncta uigil deuota cucurrit VI 65

dicite pastorem gladio pietatis obire VIII 177 *cf.* VII 79 *Sat.* 307.

Abydon et Seston dimisit aquis VIII 247

directa manus X 48 directis auribus VII 90

cinctus apostolica discipulante manu *Sat.* 154

longis dispersa comis IX 42

litera doctiloquax *Sat.* 61

sors cassa duelli VIII 344

eadem *spondeus Sat.* 161 eodem *Sat.* 181

ebria miscens uestigia thyrsis X 275

effigiat per cuncta uirum VIII 491

bellum si tempus eget perferre ualetis VI 15

elisiones raro admittuntur. exempla memorabilia *te in nosmet IV 18 te oblatiua petunt VIII 462 eripe me his X 207 et qui homo *Sat.* 38 astra poli et X 4 seruet aui ut laudes dicam *Sat.* 51 deum ut *Sat.* 305 tempora eunt *Sat.* 220 ite pares sponsi iam omina VIII 648 torpebat concreta gelu, *it X 173 — niueam cŭm Iasone Glaucen X 426 *ante* h *elisio admittitur* VII 9 *non admittitur* X 327 565

eleuat elisum caput VII 90 *cf. d. deo* I 741

captiuosque tuos deliciis epulas *Sat.* 122

errantes talis uindicta coercet VIII 56

(bellis cruentis) ex quibus occurrit saepe reatus atrox *Sat.* 198
inuidiam exagitare IX 136
exercent *efficiunt* IX 88
exercet (Achilles) in arma biformes VIII 322
exhinc nosce VIII 337
cunctos mors explicat una VIII 43 *cf. Stat. Achill.* I 29
quod Phoebus toto uix explicat anno X 402 explicat artus X 232
ut uacat expositis post proelia miles ab armis VII 73
exspectare *aspectare* IX 21 *cf. d. deo* I 356 *cum Areuali nota*
audacia forsan pauperis horretur ne clam temerarius extet V 90 sed pius extet homo *Sat.* 156

(Caesar) sponte facultatem redhibens *Sat.* 177
dominam fateor X 255
fescennina VIII 644 X 288
fescennini fremitus VI 71
fessulus X 123
dispensent hinc inde melos perflante flabello VII 30 *uideas correptiones*
flagellare *non addito accusatiuo* X 483
flans uitulum coluit *Sat.* 98 *uideas Areuali notam*
ubi numina saepe precati fleximus V 162
flosculus *lanugo* VIII 493
qui fodit *Sat.* 207 fossores *infimi ordinis homines appellari notum est*
*si ratio te nulla fouet V 306 Attica uox te, sancte, fouet VIII 28
frangat dolor *intransitiue dicitur* VIII 330
quem nuntius horrens fregerat ad Cyprum uenientem sacra dicare VIII 573
*funera *corporis reliquiae* IX 34 *176
funestas uiua elementa IX 95 hostia uictorem funestat languida V 317 aspectusque tuos funestent ossa IX 90
in hoste furis IX 143 *cf.* crudelis in hoste IX 32 saeuus in hoste IX 104
furta *doli* X 346

*gaudet Agenoriam (sobolem) caelestia colla grauantem VIII 561
genio pronior ad ueniam *Sat.* 300
gestire VII 150 VIII 408
gremium *in iudicio* VIII 32

hauriturus aquas II 124

*ibat adhuc in uerba dolor II 71 ibat in obsequium risus complexibus haerens VI 60
consultum det fata iecur X 227
nulla pietatis imago IX 169
me claustra fatigant temporis immodici VII 121 nostro peccante reatu temporis immodici *Sat.* 20
cuius ab imperio posco gemens ueniam *Sat.* 108 cuius ab imperio surgens et origine Caesar Augustus *Sat.* 179
socios in bella tueris V 118 *cf.* IV 18 — in praedam uenere dei uincente Dione

VI 21 — in arma pares fuimus cum principe *Sat.* 203 quisquis in Aonio descendit fonte poeta VIII 14 — iusta succensus in ira VIII 291 — fortisque in paupere diues quid timet aut optet V 85 *uide* furis

per inane VIII 455 X 98 118 465

indicatiuus fortisque in paupere diues quid timet aut optet uos saltem aduertite ciues V 86 quod mihi si-fortuna dedisset non inhonorus eram sed laude redemptus abirem VII 4 ut nossent quid puppis erat X 46

mater deuota coruscos indulget uultus II 7 *qui indulget culpas *Sat.* 150

sacrilegus temerator iners inimicus et hostis V 237 nunquam taurus iners lassa ceruice Tonanti uictima fessa datur V 313 uenator si cesset iners VIII 362 praeda fuisset iners *Sat.* 134 femina sexus iners *Sat.* 218 *cf. Orest.* 522 767

*et hic sceleris certus adulter inest *Sat.* 158

infinitiuus pro participio capitolia celsa petebat reddere uota Ioui laturus sacra Mineruae VIII 82

pauidos informat egestas V 194

infrendens VIII 584

hostibus externis grauis est inimicus in armis V 18

dentibus inlisis VIII 355 *cf. Orest.* 617

Polynices inops X 586

inquam X 506

*instar habent hostes V 233

inter uincla iacet X 19

interius uos Musa Uenus possidet VI 16

columbas molliter intendunt omnes per inane uagari VIII 455

pars militis intrat *particeps est Sat.* 205

sponte uenire decet non te decet ire rogatam VI 24 nolentibus ire per artus VI 26 plus eat in frenos VII 83 plus ire per aethram X 501 — *rediet VIII 141 periet VIII 200 exiet IX 151 *cf. Orest.* 168 rediebat X 272

quocunque iubes dirigis ingenia *Sat.* 12 (corda regentum) pius inclinas mox ubicunque iubes *Sat.* 104 iubet arma ministris X 318 *cf.* IV 15 — omnes ut ueniant rex ipse iubet VIII 242 imperat atque iubebit ut me restituat *Sat.* 49 sic sapiens olim Romana potentia iussit ne pereat Carthago nocens V 108 nonne dei praecepta iubent ne sol cadat intrans — sed pius extet homo? *Sat.* 155 iubet iacentem tendere colla uel pectora prona supinet X 197 *iubet uiro suspendat X 256

iucunda manus *pompa Bacchica* X 274

iuga pulchra uolucrum VI 77

iugales *equi* V 328

iugales *columbae* X 166 iugalis ales VI 78

iugalis *uxor* X 294 *cf. Orest.* 247 iugales *coniuges* X 270

iugiter I 9

armata fronte iuuencos VIII 419 *cf. d. deo* I 273

scandens, qua lacteus axis uertitur V 325
lanigerae puellae IX 57 *cf.* VII 62
latrantibus undis VIII 405 *cf. d. deo* II 788
reliquias praedae uulpes sperare leonum laudis habent VIII 25 *mater iubet quod laudis habere IX 58 cum laude salutis *cum prospero uitae statu Areualus)* *Sat.* 23
legatio sola defuit *legati* VIII 429 Aeneas rediens legatio VIII 586
si carmina nostra leuaris III 19
licet *cum indicatiuo coniungitur* I 20 II 97 124 IX 211 *cum coniunctiuo non ante* VIII 467
liquit et antistes *e. q. s. linqui dicitur is quem uires deficiunt (Areualus)* *Sat.* 39
litem facit ipse suam VIII 35
*Scaeae limina portae VIII 74
lumina gentis VIII 238
absentibus ora lupatis ingerit (equus) VII 94 *cf. Ouid. am.* I 2 15 (*Prud. Psychom.* 191)
lusisse fuit plagare Cytheren IX 75

magnanimum Aeacidem VIII 192 *cf. Stat. Theb.* I 1
male garrula VII 105 non male peccaui nec rex iratus inique est VII 127 male suscitat iras VII 130
fletu manante genis VIII 591
cum uita maneret IX 104
aut ex hoste manet simplex ac fidus amicus V 20
mascula tura X 487
medicabilis ille (Chiron) IX 105
medium *dimidium* IX 148 *Sat.* 89
res melior *commodum* X 467 melior (Medea) quae uirginitatis onus diutius toleret X 325
permiscens mella uenenis II 110 permiscet mella uenenis VII 48
membratur homo VIII 8 *cf. d. deo* II 78 I 337
merces *beneficium* VI 87
mereri *impetrare obtinere* V 51 60 329 VIII 25 284 333 X 316 330 595 *Sat.* 92 159 180
mergere *intransitiue dicitur* *X 499 *cf. Orest.* 372
merito *reuera* V 14 295
publica merx procerum *fama* *Sat.* 196
(colla) uerticis unde comam uera (*fort.* saeua) pietate parentes inlaesa ceruice metunt V 148
Hecuba mi genitrix VIII 96 *cur mi irascaris *Sat.* 265
(Uenus) cui militat omnis marcidus VI 18
minor est *minus par est* X 280 minorum *paruulorum* X 554
qua (Luna) minuente *Sat.* 238 haec eadem minuunt Cynthia dum minuit *Sat.* 240
tuae miserere nepti X 504
seruare bonos seruare modestos V 104 uiris certate modeste VI 107 sancta pietate modesti VII 110 (iura hospitii) quae nemo

parat uiolare modestus VIII 258 sic ore modesto VIII 517 culpa mihi fuerat dominos reticere modestos *Sat.* 93 *cf. quae de huius uocis usu creberrimo collegit Areualus in praefatione p.* 104 136
*modico sermone poeta Commodus Augustus *Sat.* 187
agmine mollifluo VII 11 (mellifluis labris IX 207)
saeuo molosso I 9 *al.*
tempus monet redeatur in urbem X 467
imago uirtutis monumenta tuae V 292
*mox haec est uerba locutus Tyndaridis faciles quatiunt suspiria sensus VIII 529 numquid mox natas segetes uiror armat aristis? *Sat.* 231

nam *particula ui sua causatiua* caret V 143 VIII 37 *Sat.* 10 *al.*
namque *Sat.* 121 181
illi purpureus natat ignis in ore II 67 Acheronta natare IX 127
precor ne uita negetur X 254
nec stabulum fessis hinnitibus implet VII 92 nec castus *et incestus* X 73 quem nec *et eum non* IX 137 macteturque nefas *nefandus* VIII 165
bella negare *impedire* IX 48
nimis *ualde* X 56 cum nimium laudatur Ylas II 109 nimium laetare beata II 162 *cf. Orest.* 290
obliuio longa moratur nominis inclusi VII 120
per nos *per me* IV 12 VII 135 nobis *mihi* IV 15 in nosmet *nobis* IV 18 carmina nostra III 19
nemo notet Uenerem II 48 uoce notabit IX 123 (Luna) cuius *ad aetatem plurima lege notant *Sat.* 236
Oceano nudante rotas VIII 371
tu mihi numen eris III 19 *cf. A. L. Riesii* 254 13

*limos obducit ager III 13
te oblatiua petunt auium responsa uolantum VIII 462
obreptio V *post* 182
ipsa medulla latens obseruat cornua lunae *Sat.* 241 *cf.* 242
occasus *qui cecidit* IX 219
et numquam positura comas flectatur oliua III 10 *cf. d. deo* II 221 I 166
*cui cancer domus est ora clarissima mundi X 400 (sol) conlustrans cardinis oras VI 74
loquentur consortes nunc ore meo VIII 264
ordines *in auditorio* I 15
Cypris in ornatu ueniens VII 145 *cf. d. deo* I 214
oxymora impietate pius V 257 *cf. Orest.* 8 feritate pia VIII 361 *Sat.* 274 potare cibos atque edere potus VIII 413 pallente rubore VIII 499 flammis pallentibus VIII 500 permixto pallore rubens X 229 *muta loqui *de pantomimo* X 18

si sceleris facti mens rea paeniteat *Sat.* 100 ni peccata dolens paeniteat sceleris *Sat.* 304
parcente mora X 96

nisi iura uetarent hospitii quae nemo parat uiolare modestus VIII 258 canes laniare cadauer ipse paras IX 79 colla paro feriat X 422
occidimus regina pares VIII 545 thalamos subiere pares X 338 VIII 648 se pariter mersere sub undas II 128 pariter tua regna petamus VIII 533 pariter fugerunt X 364
pars nostra *Aeacus de inferis* IX 139
parui pendentem putare V 236
natamque tyranno indicat ignoto passim nupsisse marito *id est temere* X 313
pendentibus astris X 93 *cf. d. deo* II 6
artus pensat (equus) VII 92
in priore pentametri hemistichio ultima anceps Sat. *80 92 102 140 160 *166 *262
candida peplo lilia X 116 *cf. d. deo* I 66 candida pepla uolant VIII 617
per *praepositionis usus latius patet ita ut ablatiui uel* ab apud in *praepositionum uice saepe fungatur* V 210 315 VI 34 VII 7 9 34 36 58 112 VIII 111 129 317 453 556 IX 101 135 145 178 X 199 205 305 *Sat* 52. 290 *al.*
(arma quibus) bellum si tempus eget perferre ualetis VI 15 uirgo molam perfert X 195 quae noua perferret pelagus X 41
medicina cerastis perficitur VII 50
confiteor perstans X 189 *cf. d. deo* I 93
peti *petii* IV 29
pignora *infantes Dracontius tam in nostris quam in carminibus de deo et Oreste appellat saepissume ita ut omnis prope originis sensus iam euanuerit. unum exemplum sufficiat quam luculentissimum* sic fiunt dulces modo pignora blanda parentes VII 55
(Augustus) meruit tempus habere pium *Sat.* 180
plaga *uulnus* IX 181 plagare *uulnerare* IX 75
plectriferi germana dei X 285 *cf. Orest.* 85
plurimus ora tegit serpens X 441
martia tela pluuntur V 27 *alia res est* VII 93 iam qua stat pluitur tellus sudore furoris
thalami populantem iura mariti VIII 4
populatorem Romanae gentis V 211
diffugiunt omnes populi X 522 populosque mouere in fescenninos fremitus VI 70 *cf. Orest.* 383
egressi puppes et litora poscunt VIII 540
et modo sic positus VII 71
nobile praeceptum rectores discite post me *Sat.* 189
pontifices Helenus Laocon sacrata potestas VIII 181 fit praeda potestas VIII 334
doctrina potens qua praeduce ductor III 15 te praeduce X 131 *cf. d. deo* II 23 praeduce iussu
male conceptis praegnatur terra uenenis X 577

diues praeiudicat urbi et pariter tua iura negat V 249
praescriptio surgit quae populo uitam libertatemque negabit V 250
praesens tempus pro praeterito et contra saepius ponitur cf. X 147
praesentet IX 209
diuitis optata praesentia turbida rostris adparet V 266
si nulla dedisset non exoratus praestita supplicibus *Sat.* 186 *cf.* 184
quando fugax praesumptus erit uel debilis audax? V 91
*prandia X 387 *cf. Orest.* 855
qui funera pressa reformat V 31
primus *prior* IX 138
cui turpiter audax sacrilegus processit amor X 293
proconsul almae Carthaginis V *in subscriptione.*
sex sunt aetates hominum procul usque senectam *Sat.* 221
productionis exempla duarum consonantium uel mutae cum liquida uel s *literae cum* c *uel* p *uel* t *concursu effectae in arsi permulta sunt. habeas nonnulla* IV 17 51 V 266 309 VI 64 VIII 2 (*cf. d. deo* III 605 *Orest.* 716) 195 280 299 330 IX 129 *Sat.* 137 315 *talem uero productionem in thesi admissam neque in nostris neque in aliis Dracontii carminibus usquam inueni qua re nescio an Orest.* 549 *legendum sit* uiuae
productionis exempla h *literae asperitate uel effectae uel subleuatae* āt his II 45 sūb hoste V 93 hinc Mariūs hinc Sylla ferūs hinc V 206 *rapiāt hac nocte VI 55 exclamāt Helenus VIII 189 memōr Heleni VIII 608 quīs hostis IX 69 āt hic IX 89 uidēt hoc IX 160 capīt haec IX 223 iratūs homines *Sat.* 13 perdidimūs hac luce diem *Sat.* 185 aduersūs hostes *Sat.* 207 qui poscīt hac lege *Sat.* 305 *al.*
arseos uel caesurae ui producuntur Gothūs Alamannus V 35 precibūs elementa X 139 ingratūs usta X 519
productiones uerborum abdīcas IX 129 abdīcor VIII 96 Dīone II 119 *nisi* Oenone *legendum est* egō VIII 94 95 522 *al.* Hēcuba VIII 145 *al.* Hēlena VIII 440 muliēris VIII 508 muliēre *Sat.* 161 *cf.* muliērem *Orest.* 660 muliēre *d. deo* II 133 660 muliēribus *d. deo* III 463 Nāīdis II 81 Polyxēne IX 40 prōpitius *Sat.* 14 quōque VIII 637 X 439 *cf. d. deo* I 443 *ubi* quoque *restituendum est* repūdia X 295 Romulīdas I 14 schōlasticus VI 41 Stēphanus *Sat.* 171 *at* Stĕphano *d. deo* II 572 Tītus *Sat.* 183
quae nosse profanum est X 15
mater fit tota propago VIII 10
oscula pura rogans II 6 *cf. Orest.* 61

quamuis sis frater IV 41 II 50 *at* quamuis iactura sepulcri temnitur IX 10

que *particula duobus uerbis postponitur* frater uitietque II 39 mirantur Ylanque II 100 *me proque IV 15 in manibus iam Iuno meis supplexque locatum X 135

quercus *seruati ciuis praemium* V 32 *cf.* V 319

quia *accusatiui cum infinitiuo copulati loco Afer posuit* IV 10 VII 10 16 IX 111 X 346 350 *cf. Orest.* 672 759

quod *accusatiui cum infinitiuo copulati loco positum cum coniunctiuo iungitur* IX 88 X 286 353 368 *cf. Orest.* 128 274 *cum indicatiuo Sat.* 18 215 216

nec mihi dissimilis quam quod solet esse cateruis *Sat.* 111

quota portio patris omnis constat homo VIII 9 *cf. d. deo* III 543

radiatus amore VII 17 *radiatis orbibus actas accipiat post crura rotas VII 84

per aetherias aquila uolitante rapinas *Sat.* 267 adloquitur comitantem praedo rapinam *Helenam* VIII 544

de ciue trophaeum nemo triumphator rapuit V 123 rapiunt praecordia flammas X 222

confessa reatum X 394 reatus *Sat.* 53 atrox *Sat.* 198 reatum *Sat* 307 *cf. Orest.* 66 930

recurrit *adcurrit* VIII 109 *cf. d. deo* I 599

laude redemptus VII 4

reduces morsus *repetitos Sat.* 274

refundas *reddas* VIII 269 refunde cadauer IX 148

fama relatrix IX 17

renarrat respondet II 45

uos repetunt mortes *pro simplici* VIII 156

requies *mortui* IX 226

nunc hanc nunc illam residet (Amor columbas) X 166 anhelantes residens (Liber) post proelia tigres X 273

cunctis respirat hiatus II 113 spirat hiatus X 233

tertia bella gero *quae caedes passa resurgunt IV 32

retinere *pro simplici* IX 140 *Sat.* 77

reuocare *repetere* V 272 *al.*

rostra V 41 rostris V 266

in exhaustis - ruinis strix nocturna sonat X 305

classica rumpunt V 17 suspiria rumpunt X 223 rumperet cum messis aristis X 579

et hic sceleris certus adulter inest *Sat.* 158

sapiens schŏlasticus atque peritus VI 41

ignotumque mihi scribere *nec dominum *Sat.* 94

sed *ui sua exuitur* X 341 432

praeda quieta sedet *Sat.* 128 arcem in qua templa sedent V 161

*segnibus et pueris IX 17

semita *uia* VIII 59

(Mars) post fata deos faceret super astra senatum VII 24

seu *et Sat.* 5

perquirens si Troia ruit si *e. q. s.* IX 203 classem si merserit unda nescius VIII 593 si *etsi* V 291 *Sat.* 283

siccantibus undis *intran-*

sitiue dicitur IX 86 tunc Simois siccauit aquas VIII 75
simplex ac fidus amicus V 20 petulantia simplex VI 63 prudentia simplex VI 83 simplex aetas VII 65 infantia simplex X 533 *Sat.* 223 materies ferri simplex et noxia fertur *Sat.* 69 clementia simplex *Sat.* 191 bona simplicitas *Sat.* 173
phoenix sola genus X 104
Graecia sollers VIII 45 gaudia qui Phrygibus sollers in funera uertis IX 52
scelus hoc si forte sonet V 64 sonuit genitoris ad aures X 373
urens species *aromata* X 14 *cf. d. deo* I 745 species artis X 486
uertuntur sensus uertitur et species *Sat.* 30
per glacies stat barbara Colchis X 171 et genus humanum sic stat sub lege perenni VII 56 nunquam stare licebit hoste sine IV 16 surgens herbida tellus stabat VIII 33
uincant hostes quibus aspera mens est nec studium post bella manet V 17 VII 86
sub *praepositionis usus latius patet. uid.* V 74 82 93 VI 54 86 VII 101 126 155 VIII 223 IX 87 *Sat.* 131 *conferas exempla ex Oreste collecta apud Schenkl praef. p.* 26
maternis submissus aquis X 87
subuectus equo X 312 subuecta columbis VI 72
bucula summittit tauros VIII 418
uictum super ipse ministras *Sat* 129
super addo X 427
nil superesse fatentur montibus aequoreis VIII 390
suus *pro demonstratiuo pro nomine saepe ponitur. uid.* V 222 *VII 11 VIII 281 IX 136 X 28 *Sat.* 43 281 sibi *pro* ei *Sat.* 166 *cf. Orest.* 392 590 622 819 894 901

temperet inuidia *intransitiue dicitur* VIII 330
templa Cupido *inclusit VI 5
lacerum tenuisse cadauer IX 143
uenatrix terrena micas X 191
uox tessera Martis VII 78
uocis textura sonet *carminis uerba* VII 32
theatra V 42 *cf.* X 17
togatus fori V *in subscriptione* gente *togata VII 116
umbone tonantem IX 67 II 26 IV 43
totum X 121 quidquid fluctus habet totum succendo pharetris II 35 totum cognosce poli III 3
maturus tractat *Sat.* 229 unde necem potuit pauper tractare potentis? V 175 et tractet de clade uiri de morte mariti V 76 *cf. Orest.* 333
partem *(Hectoris mortui)* tractura tenet IX 149
bella triumphigera *Sat.* 22

cur homicida uacas *(ab homicidio)* X 231 *non dissimile illud Clytaemnestrae* per te casta negor *Orest.* 177
uacuos dat post praesentia

cursus *(equus stabulo inclusus)* VII 95
pelagi rabidos fluctus pirata uagetur V 73 freta glauca uagatur VII 145 *al.*
dixere uale VIII 379
cuius sub iure uaporo II 9 blando feruore uaporat X 114
uel *propria ui plerumque caret ualetque idem quod* et. *uide* V 133 155 VI 6 36 *VII 21 VIII 77 515 IX 38 133 231 X 197 352 362 553 576 *Sat.* 230 257
ad te nunc princeps mea uela retorqueo supplex *Sat.* 117
*se uelut ostendit regni de stirpe creatum VIII 118
uendatur IX 215 *sed* ueneat IX 216 (ueniens IX 219)
uenialis imago V 227 *ueniale reatus VIII 361 ueniale minaris *Sat.* 121
lues nunquam sternenda uenit IV 34 conubio seruus ueniam VIII 524
uentilat matrem pampinus III 7
*uer recreatus agens VII 5
candor pallorque ruborque crinibus insidat qui uernat in ore puellis VI 9 gratia uernantes adnectat pulchra dolores VII 42 uernans ut credatur auis ramo cecinisse uirenti VII 104
palmes uerberet uuas III 8 *cf. d. deo* I 169—172
uester *tuus* I 16 III 16 IV 9 VIII 375 IX 135 147 X 95 596 *Sat.* 299 *cf. Orest.* 76 (*ubi* quasi iusseris ipse *legendum est cf.* VIII 263) — uos VIII 374 — si parcitis umbris IX 35
ut ueteranus amet senior ceu nuper adultus VI 29 cantitet hoc ueteranus amor VII 66
certamina Martis horrida concurrens uincat *Sat.* 208 quamuis magis ardua uincas II 13
qualiter impietas se uindicat V 159 numquid adultorum strepitus infantia simplex uindicat? *Sat.* 224
numquid mox natas segetes uir or armat aristis? *Sat.* 231
diurnis uisibus IX 91
mente oculis attenta uolat IX 201
uota *sponsalia* VI 3 32 121 VII 7 9 62 138 157 *Sat.* 52
uotiua *carmina sponsalia* VI 100
urna polorum IX 29

zelus X 424 *zelat II 119
ad zonam digiti mittuntur inermes X 234 *cf.* ad crines digiti mittuntur amantum II 114.

RVFI FESTI AVIENI

ARATEA

EDIDIT

ALFREDVS BREYSIG.

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLXXXII.

mus stabulo inclu- palme

fluctus pirata *cf. d.*

3 freta glauca ueste

145 *al.* VII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

IOACHIMO MARQVARDT

PIETATIS ERGO

PRAEFATIO.

Rufius Festus Auienus, is qui Phaenomena Arati in Latinum conuertit, uidetur idem esse, qui fecit epigramma de se ad deam Nortiam.*) is cum uersu quinto illius epigrammatis de multis carminibus suis praedicet, diuersus esse uix potest ab eo, qui cum alia carmina minora composuit (cf. Wernsdorf. poet. Lat. min. V 3 p. 1296 sqq.), tum et Arati Phaenomena et Dionysii Periegesin Latine reddidit et de ora maritima uersus plus uno libro complexus est, denique totum Vergilium, ut ait Seruius ad Aen. X 388, et Liuium iambis scripsit (cf. Wernsdorf. eodem libro IV 2 p. 553 V 2 p. 652). eiusdem hominis cognomen, etsi in epigrammatis inscriptione deest, in illo ipso non desi-

---

*) C. I. L. VI P. I n. 537 p. 103:

I. R(ufius) Festus v(ir) c(larissimus) de se ad deam Norti[am].
Festus, Musoni suboles prolesque Avieni,
unde tui latices traxerunt, Caesia, nomen,
Nortia, te veneror, Lari cretus Vulsiniensi,
Romam habitans, gemino proconsulis auctus honor[e],
carmina multa serens, vitam insons, integer aev(u)m,
coniugio laetus Placidae numeroque frequenti
natorum exultans. vivax sit spiritus ollis!
cetera composita fatorum lege trahentur.

II. sancto patri filius Placidus.
Ibis in optatas sedes: nam Iuppiter aethram
pandit, Feste, tibi, candidus ut venias.
iamq(ue) venis. tendit dextras chorus inde deorum
et toto tibi iam plauditur ecce polo.

deratur. nam quae primo uersu posita sunt uerba prolesque Auieni illud tecte, sed satis indicare uidentur. et ipsa illa suboles prolesque ad u. 370 Arateorum spectare atque, cum epigrammatis uersu septimo ollis scriptum esset, ea antiqua pronominis figura Auienum saepenumero usum esse recte monuit Wernsdorfius eiusdem libri uolumine V 2 p. 621 sqq. idem primis uersibus, quos sancto patri filius Placidus inscripsit, Arateorum principium designari uere iudicauit (V 2 p. 623). neque igitur Jacobo Sponio (cf. Wernsdorf. V 2 p. 623 et Boeckh. ad C. I. Gr. n. 372 p. 436) aliisque uiris doctis (cf. Mommsen. ad epigramma, quod supra attuli), Aratea ad patrem eius qui epigramma fecit referenda esse censentibus adsentiri possum. quodsi in titulo Graeco (cf. C. I. Gr. n. 372 = C. I. A. I n. 635), quo Athenienses *ἀνθύπατον τῆς Ἑλλάδος Ῥούφιον Φῆστον* honorauerunt, cognomen non additum est, haud scio an ibi Arateorum scriptor non indicetur. quae cum ita sint, etiam dubitari debet, utrum illi Rufius praenomen fuerit an Rufus. nam qui ei Rufium praenomen tribuerunt, illo titulo nituntur (cf. Wernsdorf. V 2 p. 623 sq. Mommsen, Herm. XVI p. 605 adn. 1 et 2). contorta res est et difficilis, ad quam expediendam ne codices quidem multum ualent. nam cum liber Ambrosianus habeat Ruffi, RVFFI forsitan factum sit ex RVFII. RVFII autem profectum uidetur a RVFI, quod in archetypo fuisse praeter Gudianum liber Vindobonensis et editio antiquissima testantur.

Fuit autem Auienus aetate Hieronymi, qui (‘c. a. 387’ cf. Mommsen. ad C. I. L. VI P. I n. 537) Aratum ab illo nuper in Latinum sermonem translatum esse in epist. ad Tit. libr. c. 1 scribit. cui poemati Auienum indicem fecisse Arati, harum rerum existimatoribus probasse mihi uideor in programmate Erfurtensi a. 1882 p. III sq.

Iam uero ad edendum Auieni Aratum duos adhibui libros manu scriptos, quorum unus est Vindo-
V bonensis, Mediolanensis alter. ac liber Vindobonensis est membranaceus, saeculi decimi, forma maxima, numero CXI apud Endlicherum, catalog. cod. philol. Latin. p. 54. scripturis quidem usus sum eis, quas olim habuit Mauricius Haupt. collatae sunt cum exemplo editionis Sanctandreanae et in eo ipso notatae. codicem ipsum uersu 1580 finiri constat. praeterea desunt u. 324, 713, 1013, 1014, 1409. cum alii sunt mutili, tum u. 270 et 570 et qui iam in prog. Erf. afferendus fuit 1079; unus u. 675 etiam caesura eget.
A Mediolanensis autem est ex libris Ambrosianis, papyraceus, saeculi quinti decimi, secunda forma minore (2^0 min.) is olim fuit Bonini Mombritii. collatus est a Gustavo Loewe, cui facere non possum quin hoc quoque loco gratias agam ex animi sententia. hoc libro primum continentur Auieni Aratea usque ad uersum 1322. leguntur post undecim duodecimue linearum spatium uacuum u. 1335 usque ad u. 1581 et u. 1750 cum reliquis, quibus subscriptum est: R u f f i F e s t i A r a t u s e x p l i c i t. I n c i p i t e i u s d e m o r b i s t e r r ę. quam quidem descriptionem orbis terrae excipiunt Arateorum uersus antea omissi, 1582 usque ad u. 1749. in eodem uolumine praeter haec duo Auieni poemata inueniuntur Germanici Aratea cum uita Arati et Arateorum Ciceronis reliquiae (cf. Hermes XV p. 180 n. 50). sed in Arato Auieni desiderantur u. 324, 624, 625, 713, 1013, 1014, 1300, 1323 usque ad u. 1334, 1409, 1743. ad quinquaginta uersus mutilati sunt, in quibus u. 270 et 570 et 1079. uersus autem 675 habet f u g e[b] s o l l e r s[a]. cum uero liber Ambrosianus sit recentissimus neque de archetypo ipso descriptus esse possit, iure dubitandum est, an mutatus ille ordo uerborum archetypo non debeatur. atque in

eo libro complures loci corrupti crucibus insigniti sunt; saepe etiam in margine quaedam notata sunt uelut ad u. 700: delphis non delphin.

L Ac ne illos quidem uersus Auieni perlustrare neglexi qui inueniuntur in Germanici codice Leidensi, qui signatur Vossianus Latinus Q. 79, cf. Germanici Aratea p. VII et progr. Erf. p. VII.

Et Gudiani libri Guelferbytanorum, qui est numero 132, inscriptionem attuli (cf. Hermes XI p. 251 n. 11).

e Ex editionibus quidem, quas fere omnes inspicere mihi licuit, ea, quam primam Georgius Valla Placentinus anno MCCCCLXXXVIII Venetiis parauit, media est inter codices et reliquos libros typis expressos, ut libri manu scripti fere instar sit. etenim in ea Auieni aliorumque poematis praescripta sunt haec:

Hic codex auienii cõtinet epigrãma. eiuſdẽ arati phænomena geographiã carmine heroico: & oras maritimas trimetro iambico: germanici quoq;: & marci tulii arati fragmenta: & Sereni uerſus de uariis curandis morbis.

In quibus, nisi omnia me fallunt, conspicua est uetusti exemplaris effigies. Georgium autem Vallam, id quod primus uidit Mauricius Haupt (cf. Hermes IV p. 331), ea quae uetus exemplar ei praebuerat satis accurate repetiisse, ipsa scripturarum natura comprobatur. iam haec editio inter omnes eo excellit, quod Aratea praebet plena neque ullum uersum omittit. quo factum est, ut ex omnibus una u. 1479 seruatum traderet. neque eo setius praeter alios uersus sunt mutili 270, 570, 1079 et u. 675 requiritur caesura.

Haud ita multo post anno MID Aldus Manutius Romanus Arati phaenomena 'Ruffo Festo Auienio paraphraſte' una cum Iulii Firmici Astronomicis aliisque libris, qui ad astrologiam pertinent, Venetiis in lucem edidit. quo libro omnes uersus praeter u. 1479 continentur. in eodem sunt mutili u. 270, 570, 1079 et

u. 675 expers caesurae est. in reliquis tamen rebus prorsus alia est condicio libri Aldini. neque enim dubitari debet, quin ille emendatorum manus expertus sit (cf. Hermes XII p. 155 n. 22 p. 157 n. 25 et progr. Erf. p. VI sq.).

Etiam emendatiora uerba poetae reddidisse sibi uisus est Ioachimus Perionius, qui 'Vergilii, Germanici Caesaris et Rufi Auieni carmina, iis respondentia Arati, quae a Cicerone conuersa interciderunt' anno MDXXXX Parisiis emittenda curauit. cuius lectiones cum ab Aldinis saepe discedant, tum aliquotiens concrepant cum codice Ambrosiano, uelut u. 1664 et in hoc libro et apud Perionium est *saeuus*. neque tamen ille multum perfecit. melius autem Auieno consuluit Guilelmus Morelius, qui anno MDLVIIII primum Auieni Aratum cum Arato ipso Parisiis excudit. eius uestigiis institit Theodorus Graminaeus, cuius liber anno MDLXVIIII
v Coloniae prodiit (cf. Buhle, Arat. I p. XXII). Manutii autem et Morelii opera quae in Arateis erant mutata, ea fere omnia ab omnibus, quae postea illa ediderunt, sunt recepta. sic uulgata quaedam poematis memoria, cum illorum uirorum studiis orta esset, usque ad hanc aetatem propagata est. a qua qui anno MDLXXXVIIII editionem Sanctandreanam exornauit, iam non abhorret. ne Grotius quidem aliud fundamentum poematis emendandi ponere studuit. quamquam homo ille ingeniosus 'uix sextam egressus trieterida' Auienum Syntagmati suo, quod anno MDC Lugduni Batauorum foras dedit, adiunctum adeo ornauit atque expoliuit, ut qui post illum Arateis operam nauabant quae Grotius emendauerat repetiisse satis haberent. id fecerunt Petrus Melian (a. MDCXXXIV), Ioannes Buhle (a. MDCCCI), F. C. Matthiae (a. MDCCCXVII), quorum de editionibus nuper disseruimus (cf. progr. Erf. p. VIII). at multo plus ualuerunt ad Auienum restituendum Nicolai Heinsii emendationes, quae Syntagmati Grotiano ad-

iectae in bibliotheca Regia uniuersitatis litterariae Gottingensis adseruantur, et Ioannis Schraderi commentarius Berolinensis (cf. Hermes XV p. 183 n. 54) et Ioannis Schaubachii Aratea Lipsiensia (cf. Germanici Aratea p. XXIX et progr. Erf. p. VIII).

Ac de librorum manu scriptorum et editionum Venetarum auctoritate et cognatione sic iudico: saeculo nono aut decimo archetypi Arateorum fuisse apographon, in quo et uersus illi tres 270, 570, 1079 essent mutili et u. 675 desideraretur caesura. quibus mendis cum Vindobonensis et praeter caesuram u. 675 Ambrosianus atque editiones Venetae pariter laborent, libros nostros omnes ab illo apographo profectos esse necesse est. ex quo descripta esse suspicor duo exempla, quorum unum fuit plenum, alterum mutilatum. ex illo natae sunt Georgii Vallae et Aldi Manutii editiones, ex hoc libri manu exarati. iam uero et Ambrosianus a Vindobonensi et Aldina a priore editione tantum distat, ut inter exempla illa, ex quibus manauerunt, et libros ipsos alia exempla quasi gradus non possint non interiecta fuisse (cf. progr. Erf. p. VII). Vindobonensium autem libro, quippe qui propter aetatem et scripturarum praestantiam ad similitudinem archetypi accedat, imprimis fides habenda eiusque sequenda auctoritas est. Ambrosianum tamen ex recentiore exemplo deductum esse lectiones ipsae testantus, uelut I u p i t e r s u c c u s a t q u e a u c t u m n u s g e n i t r i x h u m e r u s h a u d c o n n i t o r (cf. progr. Erf. p. V). atqui cum editionum Venetarum similis ratio sit, priori plus tribuendum est quam posteriori.

His igitur adiumentis ita usus sum, ut omnibus fere scripturis, quae ad orthographiam pertinent, omissis imprimis librorum manu scriptorum discrepantiam grauissimam notarem, editionum autem raro rationem haberem, nisi quod initio Georgii Vallae lectiones attuli plures quam postea. et siquid in Aldina uel in

qua alia editione recentiore memoria dignum mihi uisum erat, uulgatae lectionis signo (*v*) notaui. et cruces illas codicis Ambrosiani omittendas statui, praeterquam quod eas exempli causa u. 1099 et 1292 reliqui, neque ea, quae in eodem libro inter lineas adnotata sunt, prorsus neglexi, uelut quod u. 352 supra propter scriptum est, ubi ·i· significat id est (cf. Wattenbach, Anleitung z. latein. Paläogr. p. 25). nec omnibus locis una cum lectionibus a librariis ipsis emendatis eas adnotaui, quas illi antea posuerant. iam scripturas quasdam, quas leuiter mutatas recepi, sine ullo signo uncis inclusas addidi cf. u. 128. 183 alibi. quod ad res orthographicas attinet, omnibus locis, ut antea (cf. progr. Erf. p. VIII), sollertem et adque scripsi; in ceteris rebus, ubi certa ratio reperiri non potuerat, inconstantiam et consuetudinem libri Vindobonensis secutus sum. cum uero grauissimas tantum codicum lectiones afferre statuerim, in codice Ambrosiano flama et flamiger scriptum esse hoc loco monuisse satis est. etiam inde a u. 1581 pro succi genitrix similibus tacitus posui suci genetrix alia. inuitus tamen omisi haec:

139 ciscum flexo *A* 213 Neptūnique *A* 510 aut *V* haud *A* 826 piscem *correxit V* 843 circumuoluultur *V* 909 ne quas *A* 915 caelula *V* 941 aut *V* 976 credit *V* 1093 consorē *A* 1106 conditus *A* 1723 sintillas *A*.

Sed quo facilius pateat, quanta intercedat differentia inter uulgatas lectiones et nostras, has quauis rerum orthographicarum dissensione neglecta cum editione, quam F. C. Matthiae parauit, ita contulimus, ut lectionibus illius nostras adderemus. sunt enim hae:

1 inceptor | incentor 2 excelsam | et celsam 13 mundi primigeni | mentis primigenae 15 foedus | fetus 17 supremum | secundum 20 actor | auctor 21 pastor sacer | factus pater 22 perrumpit | perrupit 27 pater |

pariter 30 rapida inclinatio coeli | pigra inclinatio nodi 36 Nec defit | ne desit 38 arvis | auris 45 aethereos | aeternos 58 cum tempore | cur tempora 59 dimenso | demenso 66 superaret et | raperetur et 80 nam | pars || carent | caret 82 luce | in luce 88 ipse manens | usque manet 93 Terminus | Nec minus 101 subjicit | subrigat 132 in fidem | infidum 133 certo | toto || huic | haut 134 remorata | molita 135 ac | aut 136 Sed quia | denique 141 ubi | ut 145 caudae | cauda 148 ab ore | ob ora 157 demittitur | dimittitur 161 summa | summae 164 astris | astri 171 ortus | orbis 177 indomiti | inmodici 186 insedisse | insidisse 187 aethra | aethrae 188 inclutus | inditus 201 stridet | stridit 223 gnati | gnato 250 Heic | haec || minitatio | metatio 254 rutilat | rutilet 255 torquet et | torqueat 256 in occiduis | inocciduis 266 flammam | flammantur 267 lucis | lori 268 diducunt | deducunt || qua | *fax* 269 rutilo | reliquo 270 sacer adscribitur illic | sacer *hic* adscribitur illinc 278 ex | et || parente | parente's 286 tu | quae 288 polo | pilae || lubrica | lubricum 302 promiscua rura || promiscaque iura 313 jus fecerat | susceperat 325 crepera | crepula 344 indomitus | inmodicus 346 succum | fucum 347 externo | extremo 357 utrumque | utrimque 358 clare | claram || Arcto | arcton 360 ab ore | ob ora 361 fere | ferae 371 patrio | proprio 402 oceanum | cyaneum 414 at | ut 425 tum | non 431 oceano | Oceani 435 Boream | borean 437 cornuque | cornumque 441 Iasidem | Iasiden 443 Tergum | tergo 445 tantum hinc | tantum 446 extremo | extrema 447 luminis | mominis 453 Absunt | adstat 454 lucida | lurida || aegrae | aegre 455 Sic | uix 471 succingitur | suppingitur 473 cornu | coni 474 abscisso | absciso 475 renectit | retentat 489 Namque | hunc 508 Tunc | Tum 510 ablapsu | ab lapsu 517 nullumque | nulloque 522 remotus | locatus 528 est |

in ‖ utrimque | utrumque 530 geminum suprema iugum | gemini suprema iugi 536 istic | istaec 540 ductus | ductos 541 Dercia | Derceti 563 Threici | Thraeci 570 connexas. Lentae | conexas *omnis* lentae 575 coeliger | caelifer 576 septem memorat | septem has memorat 582 Deo | dei ‖ Mynthes | Minthes 591 discretum | discretim 592 germanosque choros | germanoque choro 594 effigie | effigiem 595 istos | istac 597 sub pingui | suppingi 598 tua Sisyphe | Sisypheia 599 scaevo | saeuo 612 aestus | aestas 618 qua | quam 624 nam | iam 628 tegeret | tegerent 630 qua | qui 631 At | ac ‖ porro | ponto 633 ore | ora 636 pennis | pinnis 659 pigra | pigrae 662 nota | rota 664 tunc sunt | tum freta 666 phocae | focis 668 reagunt | cogunt 675 fuge sollers | sollers fuge 686 boream | borean 694 armiger | arbiter 703 arduos | arduus 707 hirsutum | auritum 721 suscipit | suspicit 723 dimittit | demittit 732 cyanea | coeanea 743 qua | quae 744 fulgent rutila ut quae plurima longo | fuluo rutilant quae plurima longi 745 lateri | lateris 758 sollenni | solemne ‖ monstrat more | rostro mouet 761 remulco | remulsi 776 multi | multum 777 suorum | duorum 780 est | et ‖ manans | manat 789 Disdata | didita 793 ulnis | alnis 798 larga | unda 803 hic | ut 804 hic | huc 812 nulla | nulli ‖ forma | formae 813 hae | haec 819 ne spectanda | † nec expectanda 836 hae | haec 838 uni | alii 840 lato | late ‖ igni | ignis 841 Stellae quoque | quin stellae 852 imbrifer | umbrifer 856 producere | procedere 871 fulguris | fulgoris 875 decedat | discedat 881 superstantem | super stantem 884 se tendunt | sunt tantum 890 degerat | egerat 896 etiam | et eam 912 tam | nam 916 subiecti | subrecti 945 vocatur | notatur 959 perstringuntur | praestringuntur ‖ perstringitur | praestringitur 963 superimminet | super imminet 965 ac | at 967 alius | alium 968 media |

medio || orbem | orbe 969 recludens | secludens 973 pulsusque | pulsuque 977 axe | axem 978 in occiduo | inocciduum 988 meta | metae || cursu | curru 991 creperi | crepuli 993 in cani speciem | cani specie 1010 Hippocrenes | Hippucrenae 1011 recto | recte 1014 aliis | alii || at | et 1025 sint | sunt 1028 lapsis | lapsus 1034 spatium | spatio 1056 supereminet | super eminet 1066 ipse | ipsa 1067 non surgent | cum surgunt 1068 praetentaque | praetextaque 1071 qui circumplectitur | qua circum amplectitur 1075 aëre fluctus | aera fluctu 1076 aestus | aestu 1094 almi | omnis 1099 illius concedit sideris ortu | nullo reses ortum uiscere profert 1105 extulerunt | extulerant 1106 pennis | pinnis 1107 in se ipse | crure 1118 pennarum | pinnarum 1122 salsae juba tota | salso iuba rore 1125 producens | protelans 1128 flagrantes | flagratas 1133 succedit | succendit 1140 vaga | uada 1153 oceano | Oceani 1158 superinuehit | super inuehit 1163 profundum | profundo 1165 undique | undas 1166 patulus | patulas 1171 o | est 1173 neque obduri compegi | nefas duri conpegit 1176 tabuerunt | caluerunt 1178 Tenet | tene 1189 male mali | mali 1190 contermina | conmercia 1195 ferebant | uehebant 1197 ingerit | inserit 1202 in occiduum | inocciduum 1205 solaque et | solio 1221 agit. At | agitat 1222 altera | aequora 1223 tunc | tum 1226 Sagittiferi | sagittigeri 1243 quae | qua 1246 sidera | uiscera 1250 superattrahit | super attrahit 1251 tingit | tangit 1261 Sed | Et 1269 salum | solum 1282 rursum | sursum || edunt | edent 1283 Phrixei et | Phrixei 1292 super ulla | reses ullo 1293 viscera | uiscere || neque | noua 1298 evadunt. Tum | exsuperant cum 1303 Bootem | Booten 1313 membra | tamen 1314 Quidni | quid nunc 1319 explicare notis | explorare notos 1326 primo | primum 1331 primo | primum 1333 cedat | caedat || forma | formam

1340 ignem | ignis 1350 jugales | iuuencos 1352 At | Ac 1357 non | nunc 1370 Cecropia | Cecropea 1371 inseditque | inseuitque 1372 inventam | inuentum 1373 Sed | et 1377 Hoc ex fonte velut | Hic est fons unde et 1378 quo | quom 1379 aequora | et quom || paranti | parenti 1387 rabidis | rapidis 1409 immadidum | inmadidi 1410 fundit | fudit 1413 Multaque materia est | uuida materies 1424 eductum fervoris at objice mundus | et ductum feruentis ab obice mundi 1426 agris | agri 1429 aethrae | aethram 1430 superna furor illisos fulguris | superne furens inlisio fulgoris 1431 rutilis | rutili 1436 jugales | iuuencos 1437 deorsum | deorum 1440 telluris | telluri 1461 praetendat | protendat 1465 protollens | protollat || currus | cursus 1466 sit | sic 1467 tum | se 1468 supinatum diducat lumen | supinato diducat lumine 1471 coruscos | coruscis 1475 boream | borean 1479 deest | si luna alta tuens docet inclinarier alta 1482 subrigit | subrigat 1484 ora | oras 1493 fissa | fessa 1494 induerit | induit ac 1505 Phoebae | Phoebe 1509 axi compactum | axe adamanteo 1510 alta | altum 1515 obnitet | optinet 1517 imbrifer | umbrifer || Has super | his super 1518 Solis | Soli 1530 orbis | orbem 1565 atra | ora 1566 orbem | orbe 1567 facem | faciem 1576 induat | inbuat 1577 pro tractu | protractu 1578 labentem | labenti 1579 retro | taetro 1582 praecurrit | percurrit 1583 flumina | flamina 1590 nebulose | nebuloso 1591 haecque | hicque 1593 Sic | hic 1605 alta | adque 1620 ferat | serat 1623 ac in lapsu | et inlapsum 1625 sine | et 1644 seruarunt | seruarint 1659 aërii | aeriis 1669 ingens | saeuus 1681 convertit | cum uertit 1685 nebulam | nebulas 1696 repetunt | repetant 1707 totis | latis 1708 madebunt | natabunt 1709 relinquens | relinquet 1712 Redditur | sedibus 1724 trahit | ciet 1726 vartice | uertice 1731 crassa | clara 1733 et |

ac 1734 referat | referant 1745 pennis | pinnis 1755 signa | dura 1759 aethrae | aethra 1765 trepidus | trepide 1766 ad | ob 1805 *nondum* | *primum* 1815 Namque | nam quae 1824 altam | altas 1825 ventis | uenas 1827 hos | has 1829 modicum | modico || agmen | agmina 1838 laetius | latius 1857 commonstrant | cum stridunt 1859 Portendit | portendunt || praesentia multam | praesentiat ultro 1860 omina | omnia 1871 ea | et 1877 perquire | perquires. Huc accedit quod sedes duorum uersuum (357 et 447) mutaui.

Proximum est, ut de eis locis dicam, in quibus ea, quae libri manu exarati praebent, aut tuenda aut mutanda esse existimauerim neque antea de illis disseruerim. ac primum quidem u. 66 ea, quae *VA* tradiderunt, seruanda esse neque pro raperetur et cum Grotio superaret et aut cum R. Ungero, Subsiciuor. p. 7 sq., repararet et scribendum esse arbitror. musam enim Arateam, incolam Tauri (cf. Scaliger. ad Manil. I 402) ad agros Cecropios et Aonas festinasse Auienus dicit. liberiorem autem casus accusandi usum (cf. F. Haase, Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft II p. 81 sq. ed. H. Peter) fulcit Tacitus, cum ductum inde Congos exercitum annalium libro XII 32 dicit. similiter et ipse Auienus Vergilium, ut solet, imitans Herculem Hesperidum uenisse locos u. 180 dixit.

Iam caue credas Luciano Mueller (nou. mus. Rhen. XVII p. 184) u. 127 pro inmerso cum iam Titanius orbe scribenti *emenso* cum iam Titanius orbe. orbis enim ille est solis, quo inmerso i. e. in mare reuecto caelum rubescere et crepusculum oriri solet, id quod tremulo rubore a poeta significanter indicatum esse uix negaueris.

Ac quamquam u. 373 Lacedaemonius, quod ita habet Germanici codex Bernensis n. 88 (cf. German. Arat. p. XVII sq.), ut scriptum sit lachedemonius,

haud parum arridet, tamen quod Auieni libri praebent praeferendum esse censeo. nam Lacedaemoniis uidetur esse casus tertius, ut eam uocem auctore Grotio cum Aphidnis coniungi necesse non sit.

Iam uero illi, qui u. 582 sex solas e Pleiadum numero cerni carmine adserit, nomen est Minthes, quod recte praebet *V*, non Mynthes, quod scriptum est in *A*, aut Amyntas aut Smintheus, quorum nominum illud N. Heinsius, hoc I. Schaubachius sibi excogitauit. Minthen autem esse eundem, qui Sminthes esset, iam ab aliis intellectum est cf. C. Robert, Eratosthen. cataster. reliq. p. 28 sq.

Venio ad eos locos, quos mutandos esse ipse sentio. etsi in producta syllaba priore uocabuli statim, postquam ea de re disputauit Fridericus Ritschelius in eo libello, qui inscribitur de fictilibus litteratis Latinis antiquissimis (Opusc. IV p. 274 sqq.), offendi non debet, tamen u. 398 corruptum esse existimo. nam in hoc uersu mouet me unum illud, quod statim unius editionis Aldinae auctoritate probatum habemus; in libris autem manu scriptis et in editione principe scriptum est statio mergite. quod cum uerum esse nequeat, haesito an cum N. Heinsio scribendum sit:

tum succisa Ceres strati cum mergite culmi
construitur.

Quid uero sibi uelit u. 819, non intellego. nam poeta, quoniam stellas illas inter cetum et gubernaculum nauis sub lepore positas et formae nominisque expertes simili luce esse et pari modo ac pariter oriri et occidere exposuit, addit haec, quae ita sunt in *VA*:

nec expectanda forent ponto quod sola carerent.

quodsi illa, quae ab Auieno tradita esse modo dixi, reputauimus, haud scio an suspicemur, eum u. 819 dicere uoluisse, cum res ita se haberet, illas stellas dignas fore, quae spectarentur et obseruarentur, nisi forma certa carerent. ex eis autem, quae nobis tra-

dita sunt, hanc sententiam aegre elicias. nam et priora illa nec expectanda corrupta esse manifestum est et quae secuntur, si modo recte tradita sunt, explanari non possunt. ac ne ab Arato quidem huius loci ulla petenda salus est. cuius ex uersu 382 uerba: *καὶ οὐκέτι νῦν ὑπὸ θαύματι τέλλεται ἀστήρ* Grotius (ad Phaenom. Arati p. 9) eo spectare censuit. Auienum enim, quod apud Aratum u. 382 scriptum inuenisset, id non ad eas stellas, quae antea nominatae essent, retulisse, sed ad *ἀνωνύμους* illas, quarum postea u. 391 Aratus mentionem fecisset. itaque ille ineuntem uersum Auieni ita emendare sibi uisus est, ut scriberet: Ne spectanda forent, cum in reliquis uerbis non offenderet. qua coniectura quid perfecerit, me non uidere fateor. nec Cicero aut Germanicus huic loco salutem afferunt (cf. Ciceronis Aratea 164 sqq. Germanic. 375 sqq.). quid? quod fieri non potest, ut Auienus illas stellas ponto carere i. e. non occidere dixerit. accedit quod illas solas ponto carere censet. quod si tradidisset, sibi ipse non constaret, cum u. 115 ursas esse 'nescia signa salis nocturnique inscia casus' auctore Arato suo diserte docuisset. itaque ne alteram quidem uersus partem sanam esse patet. quod sensit Schraderus, cuius commentarius haec praebet nouata: mundo ceu sola laterent. quae cum audacius quam uerius dicta esse uideam, idem uereor ne in me cadat, qui haec proponere ausim:

haec spectanda forent, forma nisi cuncta carerent.

siquidem quod Auienus uoluerat cogitatione assecutus sum, id hoc uersu contineri certum est.

Leniore medicina eget u. 1014. ibi enim scripsi: desuper obliquo est *alii*, secutus uestigia Georgii Vallae, qui habet aluuia. in reliquis autem editionibus scriptum est aliis uia. nam in libris *VA* hic uersus desideratur. obliquam igitur uiam uel meatum esse alii circulo i. e. signifero Auienus docet.

Haec habui, quae dicenda putarem de locis aut tuendis aut mutandis. quibus unum hoc addo, iam et u. 767 demittit esse apud Matthiaeum et u. 1696 quod ipse inueneram (cf. progr. Erf. p. XII) occupatum esse a Nicolao Heinsio.

Restat ut eis, qui haec studia in Auieno collocata adiuuerunt, gratias agam debitas. in his praeter Gustauum Loewe et Guilelmum Du Rieu nominandi sunt humanissimi illi bibliothecarum praefecti Otto de Heinemann Guelferbytanus, Ludolfus Krehl Lipsiensis, Riccardus Lepsius Berolinensis, Ioachimus Marquardt Gothanus, Hermannus Weissenborn Erfurtensis, Augustus Wilmanns Gottingensis.

Scr. Erfurti kal. Septembr. a. MDCCCLXXXII.

RVFI FESTI ARATVS.

Carminis incentor mihi Iuppiter! auspice terras
linquo Ioue et celsam reserat dux Iuppiter aethram.
imus in astra Iouis monitu, Iouis omine caelum
et Iouis imperio mortalibus aethera pando.
Hic statio, hic sedes primi patris. iste paterni
principium motus, uis fulminis iste corusci,
uita elementorum, mundi calor, aetheris ignis
astrorumque uigor, perpes substantia lucis
et numerus celsi modulaminis. hic tener aer
materiaeque grauis concretio, sucus ab alto
corporibus caelo, cunctarum alimonia rerum,
flos et flamma animae. qui discurrente meatu
mentis primigenae penetralia dura resoluens

RVFI FESTI ARATVS *scripsi cf. programma Erfurtense a. 1882 p. III sq.* Rufi. Festi. Arati incipit liber primus de positione syderum; *inscribitur V* Ruffi Festi Arati Liber primus de positione syderum *A* Rufi Festi Avieni viri clari Arati Phenomena *Gudianus n. 132* Rufi feſti auienii. VC. arati phaenomenon Liber Incipit *e* 1 incentor *VA e* inceptor *v cf. Hermes XI p. 251 n. 10* ‖ auspice terras *Ae correxit V* 2 et celsam *VA* excelſam *e cf. Hermes XV p. 186 n. 62* ‖ reserat *Ae corr. V* 4 imperio *Ae corr. V* ‖ aethera pando *e* a&era- c ſando *V* ęthera scando *A* 5 primi patris iſte paterni *e* pruniſ. atriſ. iſteſatni *V* primus satus iste saturni *correxit A* 8 perpes *Ve* prępes *A* 9 et numerus *Ve* Innumerus *A* 11 alimonia *Ae* alumonia *V* 12 discurrente meatu *Ae* discurrent æ meatu *V* 13 *cf. Hermes XII p. 152 n. 13*

impleuit largo uenas operatus amore,
ordinis ut proprii fetus daret. iste calorem,
quo digesta capax solidaret semina mundus,
inseruit. rite hunc primum, medium adque secundum
uox secreta canit sibi, nam permixtus utrimque
et fultus sese geminum latus unus et idem est,
auctor agendorum propriique patrator amoris
et mundi uere factus pater. hic chaos altum
lumine perrupit, tenebrarum hic uincula primus
soluit et ipse parens rerum fluitantia fixit.
hic dispersa locis statuit primordia iustis,
hic digestorum speciem dedit, iste colorem
inposuit rebus sexuque inmixtus utroque
adque aeui pariter gemini, simul omnia lustrans,
sufficit alterno res semine. rerum opifex hic,
hic altor rerum, rex mundi, celsa potestas
aetheris adque Erebi, pigra inclinatio nodi,
insociabilium discretio iusta deorum.
cuius et extremum tellus opus, ignea cuius
lumina sunt late sol et soror: ille diei
tendat ut infusi rutilum iubar, altera noctis
ut face flammanti tenebrosos rumpat amictus,
ne desit genitis pater ullo in tempore rebus.
istius ille anni pulcher chorus, alta ut hebescat

---

15 fetus *scripsi* foedus *VAe cf. Hermes eodem quo antea loco* 16 quo *VA* Quum *e* ‖ 17 secundum *VAe* supremum *Grotius cf. Hermes XVI p. 123 n. 73* 18 utrimque *V* utrũ-que *A* 19 sese *Ae* se *V* ‖ unus *VA* unum *e* 20 auctor *VA* actor *Grotius* ‖ propriique *Ae corr. V* ‖ patrator *Ae corr. V* 21 factus pater *A* factus $\overset{p}{\text{ſ}}$acer *V* paſtor sacer *e cf. Hermes XII p. 152 n. 14* 22 perrupit *VA* perrũpit *e* 27 Lustrans *Ae* lustrarũ V 28 semine *V* sęmine *A* ſæmina *e* 29 altor *V* alter *A* aliter *e* 30 Erebi *A* herebi *Ve* ‖ pigra *Ae corr. V cf. Hermes XI p. 247 n. 1* 33 sunt late sol et *Ve* sunt p. (*sic*) late solet *A* 34 ut *Ve omittit A* 36 ne *scripsi* nec *VAe cf. Hermes XII p. 153 n. 15* ‖ desit *VA* deſit *e* 37 ut hebescat *A* utebescat *V* tepescat *e*

terra gelu, uer ut blandis adrideat auris,
puluerulenta siti tellurem ut torreat aestas
et grauis autumni redeat fetura parentis.
hoc duce per tumidi ferimur freta gurgitis, isto
praeceptore solum grauibus uersamus aratris.
iste modum statuit signis, hic rebus honorem
infundit, tenebris hic interlabitur aethrae,
uiscera et aeternos animat genitabilis artus.
denique ne longum marcentia corda iacerent
mundanique ortus mens inmemor omnia sensim
uilia conciperet neque se subduceret umquam
fontis in aeterni primordia, quo uelut amnis,
quem festina citis urget natura fluentis,
lapsu continuo ruiturae in corpora nostra
prorumpunt animae seriemque per aethera nectunt:
hic primum Cnidii radium senis intulit astris
mortalemque loqui docuit conuexa deorum,
cur Hyperionios nepa circumflecteret ignes,
autumni reditu cur sub gelido capricorno
bruma pruinosi iuga tristia solueret anni,
cur spatium lucis, madidae cur tempora noctis
libra celerque aries demenso pondere Olympi

---

38 adrideat auris *Schraderi commentarius Berolinensis Hauptius cf. Hermes V p. 189* adride ataruis *V* arrideat aruis *A* adrideat aruis *e* 41 isto *e om. V* et quo isto (et quo *deleuit manus 1*) *A* 42 uersamus *V* uersatur *A* ‖ aratris *A* aratrš *V* aratri *e* 44 infundit *V* Infudit *Ae* 45 aeternos animat *VA* aethereos animans *Grotius cf. Hermes XII p. 153 n. 16* ‖ genitabilis *Ve* genitalibus *A* 46 longum *Ve* ad longum *A* 47 omnia sensim *v* omniaſ&iſ *V* omnia setis *A* omnia ſenſi *e* 48 uilia *e* Vigilia *VA* ‖ umquam *V* ut que *A* 51 nostra *Ve* nostrę *A* 52 seriemque *Ve* serieque *A* 53 Cnidii radium *V* cinidii radium *Ve* cum dura diu *A* 56 autumni *v* autuni *V* auctumni *A* Aut tunc *e* ‖ gelido *e* legido *V* legido *manus 1* frigido *manus 2 A* 59 demenso pondere *e* demenſoſ. ondere *V* demensos cudere *A* dimenso pondere *Grotius cf. Hermes XIII p. 357 n. 33*

aequarent, qua parte polus sublimior alto
cardine caeruleas Thetidis non tangeret undas,
quis polus umbrifero lateat decliuis in axe
et uaga palanti cur signa errore ferantur.
quae rursum ingenio numerisque Solensibus idem
Iuppiter efferri melius dedit, incola Tauri
musa ut Cecropios raperetur et Aonas agros.
   Me quoque nunc similis stimulat furor edere uersu
tempora, cum duris uersare ligonibus arua
conueniat, cum ueliuolo dare carbasa ponto
et cum uiticomo crinem tondere Lyaeo.
o mihi nota adyti iam numina Parnasei!
o per multa operum mea semper cura camenae!
iam placet in superum uisus sustollere caelum
adque oculis reserare uiam per sidera. maior,
maior agit mentem solito deus, ampla patescit
Cirra mihi et totis se Helicon inspirat ab antris.
   Omnia, quae flammis pingunt radiantibus aethram,
nox agit et uerso ceu fixa trahuntur Olympo.
at non cuncta tamen signorum in lege putanda,
pars numeris et honore caret. micat omnibus ignis
et rutilo cunctis flagrat coma flammea crine,
sed quia non certa formarum in luce notantur

---

60 qua parte *e* quaſ arte *VA* 62 umbrifero *Ae* umbripero *V* 63 palanti *Grotius* palenti *V* pallenti *Ae* pallanti *V* 64 quae *A* que *Ve* 65 efferri *A* eferi *V* efferi *e* 66 Musa ut Cecropios *v* Muſ aut autce cropioſ *V* Musa aut Cecropios *A* Mus aut ceciopios *e* || raperetur *VAe* superaret *Grotius* repararet *R. Unger cf. praef. p. XVI* 67 furor *V* fauor *Ae* || uersu *v* ūſū *V* uersum *Ae* 68 tempora *Ae* tempera *V* 69 ueliuolo *A* ueniuolo *V* ueli uolo *e* 70 uiticomo *VA* uicti como *e* 71 adyti *Ae* additi *V* 76 Cirra *scripsi* Circa *V* Cyrrha *A* Circha *e* Cirrha *v* || se *Ve om. A* || Helicon inspirat *e* elicon inspirat *V* Helicon is spirat *A* *u. 77 inscribitur* ARCTOϵ *V* Arctos *Ae* 77 aethram *e om. VA* 80 pars *Schraderi commentarius Berolinsensis cf. Hermes XV p. 183 n. 54* nam *VAe* 82 in *VAe deleuit Grotius*

omnia, sideribus cassum fit cetera uolgus.
mobilis en etiam mundi se machina uersat
ponderis et proprii trahit inclinatio caelum.
sed non axis item curui uertigine fertur
aetheris, ut stilus instabili conuoluitur orbi,
usque manet tenuisque procul sacra uiscera caeli
perforat et mediae molem terrae tenet. illum
non prolixa dies, non incumbentis Olympi
cursus agit motatue loco labor, ut semel haerens
constitit et ferri se circum cuncta remisit.
  Nec minus extremo dispar polus. Oceano pars
sublime erigitur, subit altera, mersa sub undas,
pars Erebum et nigri iacet haec ut conscia Ditis.
hic notus, horriferis aquilonibus illa rigescunt
ac teres in gemina stridit uertigine cardo.
alter in optutum facilis, latet alter et alto
deprimitur barathro. sed qua sublimior axis
Tethyos undosae linquit cetosa fluenta,
contemplare, sacras ut mundus subrigat a r c t o s.
sic astrum dici Cnidius dedit, Ausone easdem
uoce feras u r s a s q u e et p l a u s t r a uocare solemus,
fabula namque ursas, species dat plaustra uideri.

---

83 cetera *V* et aethera *A* 84 mobilis *Ve* Nobilis *A* 85 inclinatio *Ve* in licetio *A* 86 axis item *e* adſix item *V* ad sixitem *A* ‖ curui *Ve* cur ui *A* 87 ut *v* aut *VAe* ‖ orbi *Ve* ob orbi (ob *deleuit manus 1*) *A* 88 usque *Nicolaus Heinsius* luce *VAe* ipse *Grotius* ‖ tenuisque *Grotius* tenusque *VAe* ‖ sacra *e correxit A* sagra *V* 90 prolixa *e* frolixa *V* prolyxa *A* ‖ incumbentis *Ae* incubentis *V* 91 motatue *e* motat ue *A* motatuel *V* 93 nec minus *VAe* Terminus *Grotius cf. Hermes XI p. 248 n. 3* 95 Erebum *VA* herebum *e* 97 ac teres *Ve corr. manus 2 A* ‖ stridit *Ve* stridet *A* 98 *cf. Hermes XV p. 188 n. 70* 99 barathro *Ve* baratro *A* ‖ qua sublimior *Ae* quaſ ubi limior *V* 100 linquit *Ve* liquit *A* 101 subrigat *scripsi cf. Hermes XVI p. 124 n. 77* subitat *V* subitat *A* subigat *e* 102 Cnidius *v* Cnydius *A* gnidius *Ve* 103 ursasque et *Ve* ursas quę *A* ‖ plaustra *Ae* plastra *V* ‖ solemus *Ae* solem *V* 104 ursas *v* ursa *VAe*

has pater omnipotens nemorosi in ualle Lycaei
adsuetas duris quondam uenatibus aethrae
intulit et rapto genetricis flore sacrauit.
uel ceu fama dehinc docet altera, Creta ubi fluctu
tunditur insanis late circumsona cauris,
Iuppiter has idem rerum memor indultarum
et custoditae referens pia dona salutis,
cum puer agrestis inter Curetas et inter
Dictaeae longum latuit crepitacula rupis,
scandere flammigerum uictor permisit Olympum,
nescia signa salis nocturnique inscia casus
hospita et insanis aquilonibus. haut tamen ollis
ora uel aduerso sunt obuia pectora motu,
uersa Lycaoniis sed suspectatur in ursis
forma super pariterque polo uestigia librant,
in spinam et flammis ardentia dorsa iacentes.
sic Iouis altrices teretem prope cardinis axem
in caput inque umeros, Helice Cynosuraque, uersae
praescia uenturis dant semper signa procellis.
namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum
parua regit. non ulla facem succenderit umquam
stella prior neque flammigeros eduxerit ortus
ante alia, inmerso cum iam Titanius orbe
inbuerit tremulo Tartesia terga rubore,
Cresia quam flammas inter primordia noctis
maior agat uultusque sacros ostendat Olympo.
illa licet paruo iaceat temone per aethram,
uerior infidum tamen est currentibus aequor.
cardine nam toto conuertitur (haut mora longos

---

107 rapto *v* raptor *VAe* 108 Creta *Ae* creca *V* 109 cauris *V* chauris *A* tauris *e* 116 haut *correxi* aut *Ve* haud *A* 117 pectora *Ae* pectura *V* 118 Lycaoniis *v* lycaonii *Ve* Lychaoniis *A* 125 non ulla *v* non nulla *VAe* 127 inmerso *VA* immerſo *e cf. praef. p. XVI* 128 inbuerit (Imbuerit) *Grotius* inbuit & *V* Imbuit et *Ae* 129 flammas *e* ylamas *V* flamas *A* 132 infidum *e* infidu *V* infido *A* 133 longos *Ae* longus *V*

pigra tenet gyros) neque ceu molita parumper
flectitur aut tardo cohibet cunctamina lapsu.
denique Sidoniis dux est Cynosura carinis:
rectior undoso cursus sulcatur in aestu.
  Inter utramque dehinc praeclari nominis arcton,
ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu,
squammeus agmen agens d r a c o uoluitur adque obit ambas
spirarum curuis anfractibus. hunc quoque, ut artus
longius effusum spatiosa uolumina tendunt,
compta Lycaoniis includunt plaustra choreis.
qua caput est Helices, fundunt sese ultima monstri
agmina et hac caeli uix cauda in parte quiescit.
altera, qua spirae sinus est, sublime reponit
uerticis et curuo ceu circumclusa dracone
in dorsum alterius dorso iacet. anguis ob ora
uertitur ac longe postremam lapsus in arcton
rursum maioris repetit confinia signi.
nec quae stella caput flammarum insignit honore,
sola micat solaue rubent incendia crista,
sed saetosa duplex adolet duo tempora fulgor
et duo sub geminis oculi fulgoribus ardent.
unicus ignis item mento aestuat ipsaque forma
uerticis, in nutum ueluti curuata parumper,
qua per dimensos dimittitur ordo meatus,

---

134 molita *Ae* mollita *V*   136 denique *VAe* indeque *N. Heinsius* ‖ dux est *v* ducet *Ve* lucet *A*   137 rectior *Ve* rarior *A*   138 arcton *A* arecto *V* arcto *e*   140 squammeus *v* Squam̃ſ *V* Squameus *Ae* ‖ ambas *e om. VA*   141 spirarum *Ve* spissarum *A* ‖ ut *VAe* ubi *Grotius cf. Hermes XI p. 248 n. 5* ‖ artus *Ve* arcton (*deleuit manus 1*) arcton *A*   143 includunt *Ve* inducunt *A*   144 monstri *Ve* monstra *A*   145 hac *Ae* ac *V* ‖ uix cauda *e* uixanda *V* uisanda *A* ‖ quiescit *Ve* al. cit qescñt *A*   148 ob ora *A* obora *V* ab ora *e cf. Hermes XIII p. 357 n. 34*   151 nec quae *Ae* Necq: *V*   153 saetosa *e* setosa *V* se cosa *A*   155 mento *Ve* merito *A* ‖ aestuat ipsaque *Ae* ęstuatis saq; *V*   157 dimittitur *Ve* tent̃ *A*

flectitur adque Helices caudam spectare uidetur,
cuius in extremum spatio propiore per aethram
sibila protenti succedunt ora draconis.
quin super illa etiam summae confinia caudae
stella subit, dextri quae temporis igne coruscans
aemula uicinis accendit lumina flammis.
at decliue caput uertexque obliquior astri.
hac in parte sacri procumbere cernitur axis,
qua pater Oceanus, rutili reparator Eoi,
occasus ortusque salo moderante coercet
et gemina alternae miscet diuortia metae.
  Inde pruinoso si lumen abusque dracone
in conuexa feras oculosque in proxima mundi
declines, qua parte globo tumet altior orbis,
illa laboranti similis succedet imago,
protinus expertem quam quondam dixit Aratus
nominis et cuius latuit quoque causa laboris,
Panuasi sed nota tamen, cui longior aetas
eruit excussis arcana exordia rebus.
nam dura inmodici memorat sub lege tyranni
Amphitryoniaden primaeuo in flore iuuentae,
qua cedunt medii longe secreta diei,
Hesperidum uenisse locos adque aurea mala,
inscia quae lenti semper custodia somni

---

158 uidetur *Ae* uid& *V* 160 ora *e* ara *VA* 161 caudae *A* cauda *Ve* 162 coruscans *Ve* coruscat *A* 163 uicinis *Ve* ut ęternis *A* 166 rutili *Ae* rutuli *V* ‖ reparator *Grotius* reparatur (reparat̃ *V*) *VAe* 167 salo moderante *Grotius* ſalẽ oderante *V* salum moderante *A* ſale moderante *e* *u. 169 inscribitur* ENGOSIN *V* Engonasin *Ae* ‖ 169 lumen *Ve* lum̃ti *A* 171 orbis *VAe* ortus *v cf. Hermes XIII p. 365 n. 48* 173 quam *Ve* qua *A* 175 Panuasi *scripsi* Panniaſſi *V* Panasi *A* Panyasi *e* ‖ cui *Grotius* ceu *VAe* ‖ longior *Ae* logior *V* 176 arcana *Ve* arca *A* 177 inmodici (immodici *A*) *VAe* indomiti *Grotius cf. Hermes XII p. 153 n. 17* 178 Amphitryoniaden (*corr. m. 2*) *A* Amphytrimoniaden *V* Amphitryoniadem *e* ‖ iuuentae *e om. VA* 179 diei *Ae* deei *V*

seruabat, carpsisse manu, postquam ille nouercae
insaturatae odiis serpens uictoris ab ictu
spirarumque sinus et fortia uincula laxans
occubuit; sic membra genu subnixa sinistro
sustentasse ferunt, sic insidisse labore
deuictum fama est. ac tum Tirynthius aethrae
inditus et solio fultus sublime paterno est.
Iuppiter hanc speciem, miseratus acerba laborum,
reddidit et talem cerni permisit Olympo.
en manus ipsa dei uiolenta in uerbera pendens
erigitur dextraeque dehinc inpressio plantae
tempora deculcat maculosi prona draconis.
  Poplite succidui qua sideris ampla patescunt
terga dehinc mersumque iacet sublime umerorum,
adspice ceu rutilis uibret lux Gnosia flammis.
haec quondam Bacchi monumentum fulget amoris,
haec Ariadnaei capitis testatur honorem.
trina ter inlustrant hanc lumina parsque coronae
serpentem uicina subit, qua sibila in arcton
ora draco inclinans stridit flabris aquilonis;
post tergum nixi pars uoluitur ac uelut haerens
rursum defessi reseratur nuntia signi.
  Istius extremo sub uertice, uertice quippe
sideris innixi, clarum nosces ophiuchum.

---

182 ille *V* illa *Ae* 183 insaturatae (Infaturate) *e* infaturatae *V* infaturat *A* || odiis *Ve* eo diis *A* || uictoris *Ve* uictor *A* 186 insidisse *V* insedisse *Ae* 187 Deuictum *e* Deinctu *V* Deuictus *A* || Tirynthius *v* Tyrintius *VA* thirynthius *e* 188 inditus *V* Inclytus *Ae cf. Bursiani acta, quae inscribuntur Anzeige-Blatt zum Jahresbericht etc., n. 2 a. 1881 p. 6* 189 miseratus *VA* miratus *C. Robert, Eratosthen. cataster. reliq. p. 27* || acerba *v* acerua *VAe* 192 inpressio (impressio) *Ae* inprefio *V* *u. 194 inscribitur* CORONA *VAe* 195 mersumque *Ve* mersusque *A* 196 adspice *correxi* aspice *A* Auspice *Ve* 197 quondam *Ae* condam *V* || monumentum *Ve* monimentum *A* || fulget *Ae* fluget *V* 201 stridit *Ve* stridet *A* 202 post tergum *Ae* Postergum *V* || nixi pars *e* nixif. ars *V* mixis ar s *A* *u. 204 inscribitur* OPHIVCHVS *VAe*

Triccaei sidus stat nominis et cui pingui
ture Epidaureae fumant altaria sedis.
in Styga decursis parcarum ab origine fusis
merserat Hippolytum sors ultima iamque per imas
Cocyti tenebras et stagna nigrantia Ditis
portitor ille Charon Thesidae fata uehebat.
hic inmaturi sed enim miseratus acerbum
leti supplicium Neptunique aspera iussa
algentis artus Erebo procul intimo abusque
suscitat adque animae rursum tepefacta calore
uiscera mundanas reuocat medicator in oras.
non tulit omnipotens ortu cuiquam generato
Deucalioneo fas esse nouissima fata
uincere et incassum decurrere pensa sororum
moxque trisulca polo iaculatus fulmina celso
et super aeriae uibrans incendia flammae
morte repertorem medicinae audacis in umbras
deicit, at gnato reparans solacia Phoebo
asperaque extincti miseratus fata nepotis
surgere nocturno iubet inter sidera motu.
hic ergo insignis ardens uenas ophiuchus,
hic rigidos artus formae anguitenentis honore
arduus, hic tantos umeris uibrantibus ignes
euomit, ut, pleno cum luna nitescit in orbe
menstruaque ingenti iam tempora diuidit ortu,
nequaquam lentis obscurior ex umeris lux
marceat. at manibus non conpar flamma rubescit,
nam suffusa leui resplendent ultima luce,

---

206 cui *Ve* ceu *A* 208 in Styga *A* In ſtriga *V* 210 Cocyti *e* Cociti *V* Coccyti *A* 211 portitor *Ae* Portiter *V* 213 leti *V* loeti *A* 223 deicit *correxi* Deiicit *A* Deiecit *V* Deiecta *e* ‖ at gnato *scripsi* agnato *VAe* ac gnato *v* ac gnati *Grotius cf. Hermes XI p. 249 n. 7* 228 uibrantibus *Ve* uibrantis *A* ‖ ignes *Ve* in (*deleuit m. 1*) ignes *A* 229 nitescit *v* nitescet *VA* nitescēt *e* 230 ingenti *v* angenti *VA* agenti *e* 233 resplendent *V* respondent *A* resplendeat *e*

sed cerni sunt prompta tamen postremaque parco
igne micant. ille angue manum consertus utramque
erigitur serpensque dehinc elabitur, ambas
flexilis et medium cingit spiris ophiuchum,
quem super haerentem plantarum mole duarum
scorpios in geminas effusus uiscera partis
afflictusque oculos maculosaque pectora pressus
sustinet. attiguas euoluitur anguis in auras
agmine non aequo neque tanta uolumina conpar.
nam qua dextra manus sinuoso adfigitur angui,
parcius ab domino terga explicat; altera porro
plurimus ac multo per laeuum pondere lapsus
funditur et rutilo, qua lux sedet ignea, mento
usque Ariadnaeae sese uicina coronae
lubricus inclinat. post spiram brachia quondam
formidata truci suspexeris Orioni.
haec concessa etenim curuis metatio chelis.
huc falcata Chii repserunt cornua monstri,
sidereae nimium facis indiga. namque hebes ollis
ignis et optunso marcent incendia crine.
Callisto rutilet stellis, quibus usque ferinam
prona sit effigiem! quo cardine torqueat axem,
semper inocciduis attollens lampada flammis,
Arctophylax siue, ut ueteres cecinere, Bootes,
famosa Arcadici testans commenta tyranni.
et licet instanti similis similisque minanti

---

234 prompta *e* prōta *V* prota *A* 236 elabitur *e* elabit *VA* 239 scorpios. *Ve* scorpius *A* 240 afflictusque *v* Efflictusque *VAe* 241 attiguas *Ae* attinguas *V* 244 terga *e* terta *V* terra *A* 245 multo *e* multos *VA* 246 mento *Ae* menco *V* 248 spiram *VA Grotius* ſpreta *e* 250 metatio chelis *VA* mecatio uelis *e cf. Hermes XI p. 249 n. 8* 252 sidereae nimium *Ve* sydere enim ui *A* 253 optunso *V* obtuso *Ae* *u. 254 inscribitur* BOOTES *VAe* 254 usque *Grotius* utque *VAe cf. Hermes XI p. 250 n. 9* 257 Arctophylax *e* Arctophilax *VA* || ueteres *Ae* ueterē *V* || Bootes *Ae* Botes *V* 258 tyranni *Ae* tirranni *V*

terga Helices iuxta premat arduus, haut tamen umquam
in picturatae plaustrum procurrere matris
fas datur, antiqui quoniam contagio in illo
criminis et ueterum prohibetur culpa malorum.
nec minus in membris lux olli maxima uibrat
omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late
dextera, flammantur umeri, flammam mouet instar
inter utrumque femur. qua se confinia lori
deducunt pedibus, maior *fax* luminis auras
uerberat et reliquo sidus magis aestuat astro.
nam locus Arcturo sacer *hic* adscribitur, illinc,
aurea qua summos adstringunt cingula amictus,
ebria flammanti consurgit stella rubore.
Qua protenduntur uestigia summa Bootis
quaque per inmensum circumflagrantibus astris
circulus obliquo late iacet astriger orbe,
contemplare sacros subiectae uirginis artus.
quam te, quam memorem? siue est genitor tibi summus
Iuppiter et Themide in terras demissa parente's,
seu patris Astraei clarum es genus, aurea cuius
sidera sunt proles et qui pro munere morum
inculpabilium nomen dedit omnibus astris.

---

260 Helices *e* Helicet *V* Helice *A* ‖ iuxta *Ve* uixta *A* 264 olli *A* oli *V* olim *e* 265 micat *Ae* migat *V* ‖ ignea *Ve* *ex* aurea *manus 1 A* 266 flammantur *scripsi cf. Hermes XI p. 252 n. 12* flammā tumeri *V* flama tamen *post* tamen *quinque fere litterarum spatium uacuum A* flammam humeri *e* ‖ instar *A* insta *Ve* 267 lori *scripsi* locis *Ve* lucis *A* latis *Schraderi commentarius Berolin.* 268 deducunt *VAe* diducunt *v* ‖ fax *N. Heinsius om. VAe* qua *v* 269 reliquo *scripsi cf. Hermes XV p. 183 n. 53* rutilo *VAe* ‖ aestuat *Ve* aestaat *A* 270 hic *N. Heinsius om. VAe* 271 amictus *Ae* amici *V* 272 rubore *A* robore *Ve* *u. 273 inscribitur* VIRGO *VAe* 273 Qua *Ve* Et qua *A* ‖ protenduntur *e* protendunt *VA* 274 circumflagrantibus *VA* circũflagratibus *e* 276 subiectae *Ve* sub tectae *A* 277 summus *A* sumus *V* — 278 et *Ae* ex *V* ‖ terras *e* terra *VA* ‖ demissa *A* dimissa *Ve* ‖ parente's *Hauptius cf. Hermes VII p. 13* parentes *Ve* parente *A* 279 es *e* est *VA*

aut Pelusiaci magis es dea litoris Isis,
digna poli, consors et cura latrantis Anubis.
seu tu diua Ceres, sic nam tibi flagrat arista
et ceu Siriaco torretur spica calore
protentata manu, seu quae pernicibus alis
nec sat certa gradum uiduataque uertice summo
fluxa pilae uertis uestigia, lubricum ut aeuum
sors agat et subitis obrepat mobile fatum
temporibus. precor, in terras procul aethere ab alto
flecte oculos placidamque meis uenerabilis, oro,
pande sacris aurem. tu, cum sincera priorum
uita hominum nullis ageret sub legibus aeuum
aureaque innocuos seruarent saecula mores
sponte sua nec criminibus uia prompta pateret,
inter confusos populorum libera coetus
uersabare libens nullique obnoxia culpae
corda inhibens medias casto res more tenebas.
nullus telluri limes datus, indice nullo
culta secabantur neque iam discretio campum
metiri in dominos monstrauerat, omnia rerum
usurpantis erant promiscaque iura per agros;
praestiterat cunctis communia cuncta uideri.
denique cum placidas crebro dea uiseret urbes

---

282 Pelusiaci *V* Pellusiaci *A* peleuſiaci *e* 283 poli *VA* coli *Schraderi commentarius Berolin.* || Anubis *VA* a nubis *e* 284 seu tu diua *v* ſeu[ſiſ] diua (ſiſ *addidit manus 2*) *V* seu sis diua *A* Seu diua *e* 286 manu seu quae *correxi* manuſ euque *V* manus ea quae *Ae* 288 fluxa pilae *V* Fluxipilae *A* Fluxat pilæ *e* || uertis *Grotius* uestis *VAe* || lubricum *Ve* lubrica *A* 290 precor in terras procul *Ve* procul[b] in terras precor[a] *A* || aethere *Ve* ab (*deleuit manus 1*) aethere *A* 294 innocuos *v* innocuo *VA* e 297 obnoxia *Ae* obnixia *V* 298 medias *Grotius* media *VAe* *cf. Hermes XIII p. 358 n. 35* || tenebas *Ae* tenebras *V* 300 secabantur *Ae* secabaut V 302 promiscaque iura *scripsi ex Heinsii coniectura* promisca quetura *V* promiscaque cura *A* promiscua iura *N. Heinsius* 303 praestiterat *Buhlius* Pręstiterant *VA*

tectaque iusta uirum passim succederet, illa
feruentis late pelagi natura salumque
fluctibus instabile et glauci uada turgida ponti,
qua senior cano nutrit sub gurgite Nereus
delphinos uirides et physeteras anhelos,
ignorata suo seclusaque fine iacebant.
nulla fides undis, tumido commercia fluctu
nulla petebantur neque longis nauita terris
insinuare ratem susceperat, exul ut oris
omnibus externas ueheret per inhospita gazas
aequora et insano penderet saepe profundo.
omnia sed cunctis nasci dabat aurea terris
Iustitia et nullo discreuerat aere regna.
at postquam argento deformis uiluit aetas,
rarius in terras os inclinabat honestum
iam dea, uix summos adlabens denique montis,
cum cedente die Phoebus sub nocte propinqua
occiduus pronos urgeret in aequora currus,
usurpandam oculis sese dabat adcurrentum,
non ut fessa uirum repararet gaudia uultu,
sed crepula ut late uomeret conuicia uoce.
'parcite, uile genus!' lacrimis aiebat obortis,
'causa querellarum uestrum est scelus! aurea quondam
iudice me uestri uixerunt saecla parentes.
degener in uobis animus, sollertia uobis
peruigil, arte noua uitam traducere mos est.
omne aeuum studiis excuditis. hinc quoque rursum,

---

305 iusta *Ae* iuxta *V* 309 delphinos *Ae* delpinios *V* || anhelos *Ve* anhęlos *A* 313 susceperat *N. Heinsius cf. Hermes XVI p. 124 n. 78* ius fecerat *Ve* uis fecerat *A* 314 inhospita *Ae* inospita *V* 315 insano *e* insanos *VA* || profundo (*correxit manus 1 A*) *VA e* 322 pronos urgeret *correxit manus 2 A* surgeret media proelii *in margine scriptum deleuit manus alia A* prono surgeret *Ve* 323 sese dabat *Grotius* sedebat *VA* ſedabat *e uersum 324 omittunt VA habent e v* 326 genus *Ve corr. A*

pro pudor adque dolor! nascetur uilior aetas
et lacerata genas ibit Bellona per urbes
saucia, ut infidas agitent certamina mentis.'
haec ubi permaesto rauco congesserat ore,
alite procursu sese in conuexa ferebat
protinus adque oculos fugiens exosa sequentum
linquebat coetus hominum. ruit haec quoque rursum
uiuendi series ac successere pudendo
aerea saecla habitu. fraus ilicet et furor ardens
adque cruentus amor chalybis segnisque libido
et malesuada lucri rabies subit, omnia terror
degener ac maestae facies formidinis inplet.
secreti inmodicus uada gurgitis ultima uersat
Tiphys, Agenoreo color hinc mentirier ostro
incipit Assyriumque bibunt noua uellera fucum,
ebria ut extremo splendescat lana ueneno.
sic iusta in populos mox uirginis inculpatae
exarsere odia et caelum pernicibus intrat
diua alis spatiumque sibi subuecta per auras,
unde procul terras summa uix cerneret aethra,
propter anhela libens late capit astra Bootis.
   Istius extremis umerorum partibus urget
stella facem qualique rubent incendia flamma,
quae subiecta procul caudam maioris ad ursae
uertice brumalis circumuoluuntur Olympi,
358 plurima quippe procul claram fax ardet in arcton,

---

334 infidas agitent *Ve* infidis agitent *ex* infida sagitent *manus 2 A* || mentis *V* meteis *A* metas *e* 336 sese *Ve* sere (r *litterae pars erasa uidetur*) *A* 337 sequentum *Ae* sequentium *V* 339 series *Ae* seriens *V* 342 malesuada (malesuadat *correxit V*) *V* male suada *Ae* 345 Tiphys *V* Tiphis *A* || Agenoreo *Ae* Agenoseo *V* 346 uellera *Ae* uellara *V* || fucum *V* fuccum *A* ſuccum *e* 347 extremo *Ve* externo *A* 348 iusta *e* iuxta *VA* 352 propter *Ve* propter *A* (·i· prope *superscr.*) 356 circumuoluuntur *A* circumuoluunt *V* *u. 358 hic collocaui cf. Hermes XIII p. 358 n. 36* claram *scripsi* clara *VA*

talis utrimque modo simul et fulgore micat lux.
nec contemplandi labor anxius, omnia primis
obuia ceu uibrant obtutibus: unus ob ora,
qua sunt prima ferae uestigia, praeminet ignis,
altera, qua pedibus regio est clunalibus, ardet
stella itidem genibusque dehinc se tertia promit
aemula, qua rutilae flagrant confinia caudae.
non tamen his species, non sunt cognomina certa,
sed permixta simul uulgi uice conuoluuntur.
  Illa quidem supero conserta relabitur axe,
inscia piscosi semper salis. ipsius autem
subiectos capiti geminos tibi cernere fas est,
Spartanam, geminos, subolem prolemque tonantis
egregiam et proprio post reddita numina caelo.
nam Lacedaemoniis Mars cum caluisset Aphidnis,
Castora Cecropii tulit inclementia belli.
at frater lucemque et fata superstitis aeui
exosus sortem lacrimis efflagitat aequam.
protinus alternae germanos tempore uitae
Iuppiter attollit caelique in celsa receptans
aeternae flagrare facis iubet ignibus ambo.
  Aluo Helices cancer subuoluitur astraque cancro
Iuno, nouercales ut semper proderet iras,
praestitit. hic etenim, Lernaei gurgitis hydram
ureret Alcides cum flammiger, ausus in ipsum

---

357 utrimque *scripsi* utrique *VA* 361 qua *F. C. Matthiae Hauptius Hermes VII p. 13* que *V* quæ *A* || ferae *A Hauptius ibidem* fere *V* 362 altera qua *V* alter aqua *A* 363 genibusque *V* genibus quę *A* 364 qua rutilae *A* quā rutile *V* *u. 367 inscribitur* GEMINI *VA* 370 Spartanam *V* Spartha-nam *A* || subolem *V* sobolem *A* || prolemque *AL* plēq. *V* 371 proprio *VAL* patrio *Grotius* 372 Lacedaemoniis *A* Lacedemoniis *V* lache demonius *Germanici codex Bernensis n. 88 cf. praef. p. XVI sq.* 376 alternae germanos *A* alterna egermanos *V* 377 attollit *AL* attolit *V* 378 ambo *V* ambo ^ambos *A* ambos *L* *u. 379 inscribitur* CANCER *VA*

repere uictorem. qua duro concaua dorso
tegmina curuantur, geminus micat ardor in auras.
hos dixere asinos ortos Thesprotide terra
et sidus, Lenaee, tuum. disterminat aer
crassior hos. itidem qualis praesepibus esse
forma solet, dispar chelarum flamma coruscat.
namque tribus stellis adoletur dextera cancro,
laeua duas pigro succendit fomite flammas.
  Qua postrema pedum rutilant uestigia in arcto,
maxima flammigeri mundus trahit ora leonis.
membra dehinc, longi qua sese semita caeli
plurima protendit, torrentur fomite acuto
singula et adsiduis ardet leo uiscera flammis.
hic Hyperionii flagrat uia Solis et isto
se luce caerulei referunt momenta caloris.
tum succisa Ceres statim cum mergite culmi
construitur, flauos tondentur semina crines
omnia et aduectas late coquit area messes.
tunc et Threicii repetunt animosa aquilones
flabra polo, tunc cyaneum stata flamina caeli
propellunt pelagus. longis hoc tempore in anni
otia sunt remis, pontus uehit ipse carinas.
  Aurigatorem par sit quoque cura uidere,
namque tuas aures inplebit fabula sollers

---

384 curuantur *A* curbantur *V* 385 ortos *A corr. V* 386 Lenaee *c* Lenee *V* Le[o]nee *A sic* (o) *solent scholiastae uocatiuos indicare. Gustauus Loewe* 388 coruscat *v* corusca *VAe* 390 Laeua duas *V* Lacuannas [al Lerneas] *A* || fomite *AL* fomitē *V* *u. 391 inscribitur* LEO *VA* 391 uestigia in arcto *e* uestigiã arcto *V* uestigia arcto *A* 393 qua sese semita *v* quia semete *VA e* 394 protendit *v* protendunt *VAe* || torrentur *V* terreni *A* 396 Hyperionii *A* yperionii *V* 398 Ceres statim cum mergite *v* Cere statio mergite *VA e cf. praef. p. XVII* 401 Threicii *A* treici *V* 402 cyaneum *A coniecit Hauptius cf. Hermes IV p. 331* coeanum *V* || flamina *A* flãmina *Ve* *u. 405 inscribitur* AVRIGA *VA*

Cretaei pecoris. haec lac memoratur alumno
infudisse Ioui capra, nutrix dicta tonantis.
stelligero subuecta polo est, ille inpiger autem
pulcher Erichthonius currus et quattuor olim
iunxit equos, pronus qui non procul in geminorum
laeua iacet fusoque super se corpore tendit
plurimus adque Helices caput inclinatur ab ore.
ille quidem in spatium membra explicat, ut capra laeuo
fixa umero clare sustollitur, ipsius autem
fine manus paruas haedorum suspice flammas.
qui postquam Oceano sese expediere sonoro,
saeua procellosis inmittunt flabra fluentis,
ut spumosa truci pulsentur litora fluctu
et uaga caeruleas inuoluant aequora puppes.
Nec minus aurigae qua sunt uestigia curui,
cornigeri late tenduntur pectora tauri.
illic saetosam pecoris perquirere frontem
esto memor, flexo iacet illic crure, minaces
in terram figens oculos. non cetera signa
flammarum similem procul inter sidera formam
ostentare ualent. gemino sic cornua ductu
erigit aetherii uigor ignis et ignis utrimque
sic camuris ardet protractibus, haut tibi signis
perquirenda aliis pecoris frons aequore surget
Oceani. proprio taurum deprenderis ore,

---

407 Cretaei pecoris *v* Crete ipse coris *V* Cretę ipse choris *A* Crætei pecoris *e* ‖ haec *v* hic *VAe* 409 est *V om. A* 410 Erichthonius *A* Erictonius *V* 411 iunxit *V* iungit *A* ‖ qui non *v om. VAe* 415 sustollitur *V* substollitur *A* 418 procellosis *V* procelosis *A* 420 puppes *e* ppupes *V* pupes *A* *u. 421 inscribitur* TAVRVS *VA* 423 saetosam *correxi* setonsam *V* setosam *A* 425 figens *A* fingens *V* ‖ non *scripsi cf. Hermes XII p. 153 n. 18* tum *VAe* 428 uigor *Grotius* rigor *VA* 429 sic camuris *v* Sicca. muris *V* si (*correxit m. 1*) chamuris *A* Si camuris *e* ‖ haut *correxi* audi V aut *A* ‖ tibi *V* ibi *A* 430 aliis pecoris *V* aliis fro (*deleuit m. 1*) pecoris *A* ‖ aequore surget *A* aequo resurget *V* 431 deprenderis *v* deꝑderis *V* deprehenderis *A* depræhenderis *e*

cornua sic uera sub imagine curua dehiscunt,
sic mediam creber pecori frontem asperat ignis,
sic hyades tauri toto procul ore coruscant.
435 at borean laeuo qua taurus acumine pulsat,
desuper aurigae dexter pes imminet astro.
una pedem aurigae dextrum cornumque sinistrum
stella tenet pecoris. simul in conuexa feruntur,
sed prior occidui taurus subit aequoris undas.
440 Nec mea musa senem tacitum Cephea relinquet,
447 non eget huius enim sedes sacra mominis hilum.
441 Iasiden quoque summa poli Cephea reuoluunt,
illum quin etiam rutilae pater intulit aethrae
donauitque polo. tergo Cynosuridos ursae
post habitat geminasque manus a pectore tendit.
445 at diducta pedes tantum mensura seniles
46 diuidit, extrema quantum pede distat ab ursa.
48 Rursum decliui si uisum tramite uergas,
prima tibi ut flexi linquatur spira draconis,
50 infortunatam spectabis Cassiepiam.
sed nec multa tamen, cum caelum lumine toto
luna replet, taetram ut superet fax aurea noctem,
occurret genetrix oculis quaerentibus. adstat
lurida maerenti; tenuis rubet ignis et aegre
55 lux hebes est matri, uix qualem Caria quondam

---

433 mediam *Grotius* media *VA* 437 cornumque *VA e* cornuque *v cf. Hermes XV p. 186 n. 63* 438 feruntur *A* fer̃ *V* *u. 440 inscribitur* CEPHEVS *VA* 440 tacitum *e* tantum (t͡m *A*) *VA* *u. 447 hic posui cf. Hermes XIII p. 364 n. 47* 447 mominis *scripsi* nominis *V* numinis *A* || hilum *v* illum *VA e* 445 at *e* ad *VA* || tantum *VA* tamen *e* *u. 448 inscribitur* CASSIEPIA *V* casiopea *A* 450 Infortunatam *e* inportunatam *V* importunatam *A* || Cassiepiam *V* Cassiopeam *A* 452 taetram (tetram) *V* terram *A* 453 oculis *A* ocolis (?) *V* || adstat *Hauptius cf. Hermes VII p. 13* adsunt *VA* 454 lurida *Schraderi commentarius Berol. Hauptius cf. Hermes eodem quem modo indicaui loco et XV p. 183 n. 54* lucida *VA*

nouerat intrantem per claustra tenacia clauem.
formatur stellis distantibus inque umeros uix
tenditur angustos, natae fera fata retundunt.
Namque subest teretisque poli simul orbe rotatur
Andromeda, ingenti quae semper luce coruscans
sponte oculos in membra rapit. face denique uertex
ardet anhelanti geminamque per aera fundunt
lucem umeri et summis lux aestuat ignea plantis.
ignea quin etiam per caelum cingula flagrant
Andromedae et toto uibrant in corpore flammae.
sed tamen hic etiam uiuax est poena dolenti,
nam diducta ulnas magna distendit in aethra
uinculaque in caelo retinet quoque, tenuia quippe
brachia contortis adstringunt uincula nodis.
Rursus odorato qua uertex crine tumescit,
Andromedae capiti suppingitur indiga pleni
aluus equi, summo qua fax in uertice uibrat
uirginis inque auras coni uice surgit acuti.
ipsa sub absciso late micat aurea uentre
cornipedis, simul hunc lux indiscreta retentat
communique rubent duo semper sidera flamma.
tris latus adque armos aliae pecoris pinxere
et spatio disiuncta pari fax aemula flagrat:
plurimus ignis inest, uasto globus aestuat orbe.

---

456 tenacia *A* tenauia *V* *u. 459 inscribitur* ANDROMEDA *VA* 459 rotatur *Grotius* notatur *VA* 460 ingenti *Grotius* incenti *VA* 462 anhelanti *A* hanelanti *V* || geminamque *A* geminanque *V* 463 summis *A* sumis *V* 467 ulnas *e* uinas *V* uinas *uel* iunas *A* || in *e om. VA* 468 uinculaque *V* Vincula quae *A* || retinet *Grotius* retinent *VA* 469 uincula *Grotius* nubila *VA* *u. 470 inscribitur* EQVVS *VA* 470 qua *Grotius* que *V* quae *A* 472 equi summo qua *Grotius* aequis sumo que *V* equus summo quę *A* || uibrat *e* uibrant *VA* 473 coni uice *VA* comuice *e* cornu uice *v* *Hermes XV p. 186 n. 63* 474 absciso *V* abscisso *A* || uentre *A* uentrae *V* 475 hunc *v* hoc *VAe* 477 armos *V* harmus *A* || pecoris *v* pecore *VA* pecori *e* 479 ignis *A* ingnis *V*

sed non et capiti similis rubor ipsaque ceruix,
quamuis procero surgat iuba maxima collo,
languida marcenti uix est spectabilis igne.
ultima quae mento sese explicat, haut minor illa
quattuor est primis, quae formam lumine claro
cornipedis simulant. non hic equus integer artus,
non quadrupes caelo sustollitur, at tenus aluo
erigitur media, nam cetera pone negantur,
et quatit aetherias primis modo cruribus auras.
hunc, hunc Aonio quondam memorant Helicone
inclita post Lyciae redeuntem bella Chimaerae,
mystica qua rupes doctis obmurmurat antris,
herbarum carpsisse comas et gramine odoro
expleuisse famem, sed cum sitis arida fauces
ureret ac nullo manaret gurges hiatu,
inlisisse pedem — cornuque excita repente
lymfa camenalem fudit procul Hippocrenen.
Aones hoc latici posuerunt nomen equino
pastores. strepit haec placido inter saxa susurro
adque Helicone cadens sese sitientibus herbis
inserit, Ascraeas donec uaga gurgite ualles
uiuificet. rigat hac animas et Thespia pubes
semper et in latices inhiat gens fontis alumni.
ast ecus alterno redit inter sidera motu
Oceanique salo caput exserit. haut tibi magni
cura laboris erit caelo spectare sereno
cornipedem, micat ille procul flagrantibus astris
et perfusa recens educit pectora ponto.
Tum celer ille a r i e s, longi qui limitis orbe

480 sed non et *v* sed et non *Ve* Sedet non *A* 481 surgat *A* surget *V* 483 haut *correxi* aut *V* haud *A* 486 at *Grotius* et *VA* 487 nam *Grotius* iam *VA* 491 obmurmurat *ante rasuram manus 1 V* īmurmurat *manus 2 VA* 592 carpsisse *A* carpspisse *V* ‖ odoro *corr. V* odore *A* 496 Hippocrenen *A* Hippcrenen *V* 501 uiuificet *A* Vuificet *V* 503 ecus *manus 1 V* equus *manus 2 VA* *u. 508 inscribitur* ARIES *VA* 508 limitis *V* luminis *A*

aethera percurrens numquam Cynosuridos ursae
segnior ab lapsu conuertitur, haut procul astro
uisus equi, magno celsum secat aera motu.
parcior hic rutilae semper facis, indigus ignis
spectatur iusti. nam quanti luminis astra
esse solent, aciem quibus aurea luna retundit,
marcida lanigeri tantum se forma sub auras
exerit, in tenui quamquam primordia Phoeben
orbe habeant nulloque decus dea proferat ore.
sed licet hunc oculis frustra sectere per aethram,
nam semper propriis caret ignibus: en tibi propter
Andromedae claro rutilantia cingula in astro
suspectanda patent. uocat ingens balteus ultro
quaerentem. non longa aries statione locatus
in conuexa redit, paruo se tramite subter
distinet et medio caelum citus ordine currit,
ultima chelarum qua brachia quaque corusco
circulus axe means rutilum secat Oriona.
  Est etiam Graio quod semper nomine nostri
d e l t o t o n memorant. simile in latus istud utrumque
porrigitur, summum signo caput angulus artat
et gemini suprema iugi uicinia mordet.
tertia quae stantes sustentat linea ductus,
parcior, haut simili sese sub limite tendit
et contracta modum gemina face flammigerarum
stellarum superat. quin et qua subter in astro
lanati marcent pecoris pluuioque tepescunt

---

510 ab lapsu *A* ablapsu *V cf. Hermes XV p. 186 n. 64* 513 spectatur *V* spectator *A* 522 locatus *VA* remotus *Grotius cf. Hermes XII p. 154 n. 19* *u. 527 inscribitur* DELTOTON *VA* 528 simile in latus *A corr. V cf. Hermes XII p. 154 n. 20* 529 summum *corr. V* summo *A* 531 ductus *V* doctos *A* 532 haut *correxi* haud *v* aut *VAe* || sub limite tendit *V* sublime tetendit *A* 533 gemina *v* geminas *Ve* geminis *A* 534 stellarum *A* stellerum V 535 pecoris *A* peccoris *V*

iam uicina noto, minor istaec linea luce
et fulgore facis praeuertitur. at locus olli
post tergum Andromedae. sic se tulit ordo dicatus.
Hinc si uicino flectaris lumina uisu
inque notum sensim boreali ab cardine ductos
inclinere oculos, proles tibi, Derceti, piscis
surgent Bambycii. sedes data quippe duobus
piscibus, ingenti qua celsam circulus aethram
orbe secat. tendit qua pennae extrema sinistrae
ales ecus, mundo qua pectora laniger alto
urget et aduerso surgentem corpore taurum
respicit: hic medio signantur sidere pisces.
quorum alius rigida consurgit in aera forma
celsior et borean propior subit, alter aquarum,
Troicus haurit aquas funditque ubi ephebus ab urna,
pone auidus iacet in notialia nubila pronus.
sed tamen hi late stellis ex ordine fusis
nectuntur caudas et lenta trahuntur utraque
uincula, per caelum coeunt quae singula rursum
et rutilo confixa quasi super igne tenentur,
caelestem memorat quem sollers Graecia nodum.
ex umero Andromedae laeuo quoque noscere piscem,

---

536 istaec linea *e* iste clinea *V* istec linea *A* istic linea *v* 537 olli *V* illi *A* 538 post tergum *A* postergum *V* ‖ se tulit *V* rettulit *A* ‖ dicatus *e* dicat *V om. A* *u. 539 inscribitur* PISCES *VA* 539 uisu *A* uisŏ *V* 540 sensim *v* sensi *VA* ſenſum *e* ‖ ductos *N. Heinsius* doctus *V* ductus *A* 541 Derceti *N. Heinsius* tertia *VA e* Dercia *Grotius* ‖ piscis *A* pisces *V* 542 surgent *V* surget *A* ‖ Bambycii *correxi* Bambicii *Grotius* Bombicii *VA* 543 ingenti *v* incenti *VA* incerti *e* 544 pennae *Grotius* penna *V* pirina *A* 545 ales ecus *V* ale secus *A* ‖ qua *V* qui *A* 547 hic *Grotius* hinc *VA* 549 borean *V* boream *A* ‖ subit *Grotius* sapit *VA* ‖ alter aquarum *v* altera quarum *VAe* 550 haurit *A* auriat *V* ‖ funditque ubi ephebus *Grotius* fundit quo phoebus (phebus *V*) *VA* *u. 550 Heinsio auctore subditicium esse censet Schaubachius* 554 coeunt *V* count *A* ‖ singula *A* cingula *V* ‖ rursum *V* rursus *A* 555 tenentur *A* teneut' *V* *u. 557 inscribitur* PERSEVS *VA*

qui rigidum celsi suspectat cardinis axem,
perfacile est, ulnae nam proximus iste sinistrae
caerulus erigitur. quin et uestigia propter
Persea sub uolucri par est tibi quaerere forma.
in caput inque umeros rotat aegram machina mundi
Andromedam, Thraeci nam sub flabris aquilonis
nititur alato uindex pede, maxima cuius
dextera maerentis solium prope Cassiepiae
tenditur ingentique dehinc uestigia passu
puluerulenta quasi cano procul aere pandit.
  Pleiades femoris pariter sub fine sinistri
Perseus protollit. locus has habet artior omnis
conexas. *omnis* lentae facis haut procul istas
ostentat rutili lux sideris, aegra sororum
lumina; nec claro flagrat rubor aureus astro.
his genitor, uero si fluxit fabula fonte,
Poenus Atlas, subiit celsae qui pondera molis
caelifer adque umero magnum super aethera torquet.
fama uetus septem has memorat genitore creatas
longaeuo, sex se rutila inter sidera tantum
sustollunt. septem fert fabula prisca sororum.
nomina (sex sese tenui sub lumine reddunt):

---

561 par *v* pars *VAe* || forma *V* formȩ *A* 562 rotat *V* rorat *manus 1* rotat *manus 2* a (rorat / p cor) *in margine manus 1 ut uidetur A* 563 Thraeci nam *correxi* Threci nam *N. Heinsius* Threicii nam *V* nam Threicii *A* thraici nam *e* || flabris *e* fabri *VA* 565 Cassiepiae *V* Cassiopeae *A* 566 dehinc *V* dabant *A* 567 pandit *V* tendit *A* *u. 568 inscribitur* PLEIADES *VA* 570 omnis *addidi auctore Schaubachio qui* omnes *supplendum esse censet, om. VAe* 571 ostentat *V* ostentata *A* || rutili *V* truci *A* 574 Atlas *A* atlans *V* || subiit celsae *V* subiit (*deleuit manus 1*) celsae subiit *A* || pondera *A* pondere V 576 fama *V* flama *A* || has *A* h· a· s· *V omittunt ev* 577 sex se rutila *V* sex hȩc turba *A* 579 tenui *V quinque uel sex litterarum spatium uacuum praebet A*

Electra Alcyoneque Celaeno Taygeteque
et Sterope Meropeque simul famosaque Maia
prole dei. cerni sex solas carmine Minthes
adserit, Electram caelo abscessisse profundo
ob formidatum memorat prius Oriona.
pars ait Idaeae deflentem incendia Troiae
et numerosa suae lugentem funera gentis
Electram taetris maestum dare nubibus orbem,
saepius obscuris caput ut sit cincta tenebris.
non numquam Oceani tamen istam surgere ab undis
in conuexa poli, sed sede carere sororum
adque os discretim procul edere, detestatam
germanoque choro subolis lacrimare ruinas
diffusamque comas cerni crinisque soluti
monstrari effigiem. diros hos fama cometas
conmemorat tristi procul istac surgere forma,
uultum ardere diu, perfundere crinibus aethram,
sanguine suppingi rutiloque rubere cruore.
quin Meropen alii, postquam Sisypheia uincla
et thalamos saeuo sortita est omine diuum,
indignam aeria credunt mage sede fuisse.

---

580 Electra *e* Erecta *V* Helectra *A* ‖ Celaeno *v* Celeno *VAe* ‖ Taygeteque *A* tarigiteq. *V* 581 famosaque *V* formosaque *A* ‖ Maia *v* mala *Ve* Malam *A* 582 cerni *V post unius uel duarum litterarum spatium uacuum* ermi *A* ‖ Minthes *Ve* Manthes *A* Mynthes *v cf. praef. p. XVII* 583 adserit *V* ad se *A* ‖ Electram *V* helectram *A* 585 deflentem *V* deflęntem *A* 587 Electram *V* Helectram *A* ‖ taetris *V* ętheriis *A* 591 discretim *V* discreti *A* ‖ detestatam *Grotius* destitutam *V* destitutam *A cf. Hermes XII p. 154 n. 21* 592 germanoque choro *VA* germanosque choros *Grotius* ‖ subolis *V* sobolis *A* ‖ lacrimare ruinas *Grotius* lacerata ruinis *VA* 593 diffusamque *A* diffussamque *V* 594 diros *V correxit A* 595 istac *scripsi* istos *VA* 597 sanguine *V* sangine *A* ‖ suppingi *A* suppingui *V* 598 alii *Grotius* adiit *V* ‖ Sisypheia *v* sypheia *Ve* ‖ uincla *ς* uincula *V pro uersu 598 praebet haec*: Pura mero p postquam (*post* p *octo uel nouem litterarum spatium uacuum*) *A* 599 et *V* Per *A*

sic anceps numeri fit fabula sexque per aethram
uergilias cerni tenet usus, sed simul omnis
artauere globum. ter in auras angulus exit
flammiger et mixtis Atlantides ignibus ardent.
nec tamen est famae similis uigor, ampla sorores
fabula nobilitat, modus ollis parcus et ignis
uix tenui longe face fit spectabilis. istas,
alterno redeunt cum bina crepuscula mundo,
seu nox astrales adolet cum caerula flammas,
seu matutinus cum sidera disicit ortus,
conuolui caelo summae pater annuit aethrae.
nec minus arenti cum crine attollitur aestas
et cum cana comas redit anno bruma rigenti,
tempora designant. nam si se gurgite tollunt
uergiliae, curuas in flaua noualia falces
exercere dies; si condunt aequore flammas,
tellurem presso proscindere tempus aratro.
Est chelys illa dehinc, tenero quam lusit in aeuo
Mercurius, curua religans testudine chordas,
ut Parnaseo munus memorabile Phoebo
formaret neruis opifex deus. hanc ubi rursum
concentus superi compleuit pulcher Apollo,
Orphea Pangaeo docuit gestare sub antro.
hic iam fila nouem docta in modulamina mouit
musarum ad speciem musa satus, ille repertor
carmina Pleiadum numero deduxerat. at cum
inpia Bassaridum carpsisset dextera uatem

---

601 sic anceps *A* siccanceps *V* 607 fit *V* sit *A* 609 astrales *Grotius* australes *VA* 610 disicit *correxi* dissicit *V* disiicit *A cf. ad u. 1550* 614 designant *A* dissignant *V* 615 in flaua *V* inflare *A* 616 exercere *e* exergere *V* exegere *A* *u. 618 inscribitur* LVRA *VA* 619 Mercurius *V* Mercurii *A* 623 Pangaeo *manus 1* pengaseo *manus 2 V* Pegaseo *A* *u. 624 et 625 omittit A u. 626 inscribitur* cygnus (*partim erasum*) *A* 626 Pleiadum numero deduxerat. at cum *V* Apollo du (*sic!*) memorandū duxerit arcum *A* 627 inpia Bassaridum *V* In quibus saridum *A*

et deuota uirum tegerent Libethra peremptum,
intulit hanc caelo miseratus Iuppiter artem
praestantis iuuenis, pecudes qui et flumina uates
flexerat. ac nixi qua semet sidera ponto
sustollunt, laeuum propter chelys haec femur adstat.
aduolat ast aliud latus ales et ora canoros
tenditur ad neruos, media est lyra sede dicata,
cygneo capiti et curuo contermina signo.
Namque et sidereis cygnus secat aethera pinnis,
donatus caelo, non claro lucidus astro,
sed tamen os flagrans et guttura longa coruscans.
grandibus haud equidem stellis, non his tamen atris
obscurisue micat. trahit in conuexa uolatum
perfacilem et dextro late Cepheida dextram
radens remigio summa ad uestigia laeuam
declinatur equi. sic magno praepes Olympo
subuehitur, subit occidui sic marmoris undas.
Nam post cornipedem flagrant duo sidera pisces,
pisces Bambycii, caput autem subter equinum
Laomedontiadae se dextra tendit ephebi.
ipse dehinc longos insignis aquarius artus
adstat ad hirsuti caudam pulcher capricorni.

---

628 tegerent *e* tegeret *VA* || Libethra *A* libenthra *V* peremptum *V* potentum *A* 629 miseratus *e* miscratus *manus 2 in rasura 'fuisse potest* sera' *V* miratus *A* 630 pecudes qui *v* pecudesq. *V* pecudesque *Ae* 631 flexerat *V* flexerit *A* || ac nixi *scripsi* adnixi *VA* At Nixi *Grotius* || ponto *Hauptius cf. Hermes VII p. 13* porro *VA* 633 ast aliud *V quattuor litterarum spatium uacuum praebet A* || latus *V* laudatus *A* 634 tenditur *V* tunditur *A* || lyra (lira) sede *V* haud ęde *A* *u. 636 inscribitur* CYCNVS *V* cygnus *A* 636 sidereis *v* siderii *V* sydoniis *A* || cygnus *A in rasura manus 2 V* 637 donatus *V* Conatus *A* 639 his *V* hic *A* 640 obscurisue *A manus 1* obscurisbe *manus 2 V* *u. 645 inscribitur* AQVARIVS *VA* 646 Bambycii *Grotius* bombycii *V* Bombicii *A* 647 ephebi *V* ephoebi *A* 648 artus *V correxit manus 2 A* 649 capricorni *A* capricornu *V*

Imus ut australi descendit circulus axe
signifer inque notum rutili cadit orbita solis,
hispida saetosi marcet species capricorni.
hic iam Threicio ueniens a cardine Phoebus
uertit iter pulsusque deum, mirabile dictu,
brumalis redigit. non tum mihi longa phaselis
aequora temptentur, non tum freta turbida pinu
quis petat! angusto decurrit tramite namque
parua dies uastoque dehinc deprensus in alto
nequicquam pigrae clamarit sidera lucis.
interea totis notus acer saeuiet undis
excitumque salum uerret notus. aurea Solis
cum rota cornigeri sidus pepulit capricorni,
tum dirum caelo frigus redit, aspera nautis
tum freta fluctiuagis, tamen isti saepe malorum
inmemores agitant totos in fluctibus annos,
mergorum et focis similes. trahit unda pauentis
ac retrahit, quaerunt oculis distantia longe
litora et in pontum cogunt lucra semper hiantis.
Par metus ex pelago tibi sit quoque, sole sagitta
cum levis adflatur, cum lux in arundine flagrat

---

u. 650 inscribitur CAPRICORNVS *VA* 650 descendit *A* descendi *V* ‖ axe *A* axae *V* 653 hic *V* hunc *A* ‖ iam *A in rasura manus 2 V* 656 non tum *e* in$\overset{c}{t}$um *manus 2 in rasura V* uictum *A* 657 tramite *e* tramine *V septem uel octo litterarum spatium uacuum praebet A* 658 deprensus *v* dep̄ssus *V* depressus *A* depræhensus *e* 659 nequicquam *v* nequaquam *VAe* ‖ clamarit *v* clamauit *VAe* 661 uerret *V* uertet *A* 662 rota *V* nota *A cf. Hermes XVI p. 127 n. 86* ‖ sidus *V* foedus *A* 664 tum *scripsi* tunc *VA* ‖ freta *N. Heinsius* l $\overset{t}{\cdot}$ o (t *addidit manus 2*) *V* cito *A* ‖ fluctiuagis *A* f . . . uagis (*quae punctis indicaui extrita sunt*) *V* ‖ isti *V* istis *A* 665 totos *V* totis *A* 666 focis *scripsi cf. Hermes XIII p. 359 n. 37* foci *V* phoci *A* 667 ac retrahit *V* Acre trahti *A* 668 pontum *A correxit V* ‖ *post* pontum *octo litterarum spatium uacuum praebet A* hiantis *e. om VA* *u. 669 inscribitur* SAGITTARIVS *VA*

ignis mundani, cum tela extrema coquuntur
cumque sagittiferi torret uapor aureus arcus.
tum quoque si piceam spectaris surgere noctem,
informem taetris tellurem ut uestiat alis,
litus ama, sollers fuge caerula tegmina noctis
exitiumque sali rabidique pericula ponti
anteueni, iam solve memor uaga carbasa malo,
iam prolixarum iaceat rigor antennarum.
mensis at infausti uel duri sideris index
scorpius exoriens sit tempore noctis adultae:
hic matutino ueniens procul aequore telum
exigit e pelago, telum trahit ultima cauda.
cunctatur pigro post tergum sidere iuxta
arquitenens tardos et gurgite liberat artus.
tum Cynosura etiam maturae in tempore noctis
altius in borean sustollitur, abditur autem
Orion redeunte die, tum brachia Cepheus
protentasque manus mediamque immergitur aluum.
  Quin norunt aliam superum conuexa sagittam.
sed tamen haec arcu tereti caret inscia nerui,
inscia nam domini est. telum super aduolat ales,
ales olor, sed Threicio conterminus axi
cana pruinosas extendit colla sub arctos.
  Armiger hanc etiam Iouis aduolat, arbiter ignis
aetherii, sed membra minor. procul hic tamen alto
cum redit a pelago et mouet in conuexa uolatum
fine tenebrarum summaeque in margine noctis,
spumosum late mare subruit; omnia caeli,

---

671 tela *A* itala *V* || coquuntur *A* coquntur *V* 675 sollers fuge (fuge[b] sollers[a]) *A Grotius* fuge solers *V* 677 anteueni *V* Ante ueni *A* 678 antennarum *A* amtēnarum *V* 683 post tergum *A* postergum *V* || sidere *Buhlius* sidera *V* sydera *A* 684 liberat artus *v* libera tardus *VAe* 688 manus *A* man *V* *u. 689 inscribitur* SAGITTA *VA* 690 nerui *v* neruis *VAe* *u. 694 inscribitur* AQVILA *VA* 696 a pelago *v* ac pelago *VAe* || et *v om. VAe* 697 summaeque *A* sūmę quae *V*

omnia terrarum mox flabra procacia uerrunt.
Tum curuus caudam subit inter sidera delphis,
dux, Neptune, tui quondam super aequor amoris.
hic nam detrusae in latebras procul Amphitrites,
arduus occiduos umeris ubi sustinet axes
Pleiadum genitor, perruperat. hic uagus omni
gurgite dilectam domino maris ultimo ab orbe
mollis dorsa tulit. breue signo corpus in astris
et super auritum ponto surgit capricornum.
hic medios artus taeter stupet, altera porro
quattuor inlustrat facibus. rubor aureus adque
bis gemino discreta situ micat ignipotens lux.
Omnia, quae soli et rigido interfusa aquiloni
aetheris incurui moles rotat inque frequentes
occasus ortusque trahit moderator Olympi,
sunt digesta mihi. quae rursum limite abusque
sese Hyperionio pluuialis concaua in austri
demittunt, taetram donec notus ambiat aethram,
dicere Romuleo conitor carmine sollers.
Subtrahit obliquo qua sese circulus orbe
signifer a borea inque australes se gerit umbras,
sub medii iam mole poli fera pectora tauri
suspicit Orion. neque quisquam nocte serena

---

699 procacia *A* procatia *V* ‖ uerrunt *A* uer̄ *V* *u. 700 inscribitur* DELPHIS *V* Delphin *A* delphis non delphin *margo A* 701 Neptune *V* Neptũne *A* ‖ aequor amoris *v* aequora moris *V* aequora amoris *A* 702 detrusae *V* detrusas *A* ‖ in *v om. VAe* 703 arduus *A correxit V* ‖ umeris *correxi* humeris *A* umeri *V* 704 perruperat *e* persuperat *VA* 705 ultimo *v* ultima *VA* ultro *e* 707 capricornum *A* capricornu *V* 708 taeter *V* teri *A* 710 micat *v* mitigat *Ve* miti *A* *u. 713 omittunt VA* 714 mihi quae *A* mihiq. *V* ‖ abusque *V* ab usque *A* 715 Hyperionio *V corr. A* 716 demittunt *v* dimittunt *VAe* *u. 718 inscribitur* ORION *VA* 719 a borea inque *Grotius* in borean *V* in boream *A* ‖ australes se gerit *Grotius* australe sederat *VA* 720 sub *Grotius* ut *VA* 721 suspicit *VA cf. Hermes XVI p. 127 n. 87*

transierit, celso late se cardine pandit
auratumque rubens demittit balteus ensem.
Talis et ipse uirum gemina ad uestigia custos
insequitur. sic flammigero distinguitur astro
aetheriae canis ille plagae, cui plurimus ardor
aestuat in mento, multus rubor inbuit ora.
stridit anhelanti face pestifer, aera motu
torret et inmodici terras coquit ignibus astri.
hic uarios ardet stellis rutilantibus artus,
sed non est similis cunctis uigor, undique quippe
aluus coeanea est, mento grauis effluit ardor,
qui formidato sub nomine Sirius aethram
urit. huic rutilos si Sol adflexerit axes,
quantus corporibus, quantus labor inminet agris!
marcebunt sata cuncta diu, namque indiga suci,
si qua iacent, cedunt ualido penetrata calori,
ac decoctorum languebunt germina florum.
illa autem, interno quae sunt animata uigore,
Sirius adtollit blandusque inlabitur herbas
Sirius et dulci nutrit tepefacta sereno.
hunc, hunc, flammanti cum primum uibrat ab ortu,
auribus adque animo capimus procul. altera si quae
stellarum fuluo rutilant, quae plurima longi
belua fert lateris, neque multa luce coruscant
et designandis tantum sunt addita membris.
Paruulus in stellis lepus est quoque, namque ubi magnus
emicat Orion, gemina ad uestigia subter

---

722 late *A* latae *V* 723 demittit *Schraderi commentarius Berolin.* dimittit *VAe* *u. 724 inscribitur* SYRIVS *VA* 728 anhelanti *V* anhęlanti *A* 732 aluus coeanea est *Grotius* alueus ocana aā ē *V* alueus ocanea est *A* 735 agris *V* ęgris 737 penetrata *A* pentrata *V* 739 uigore *V* nitore *A* 740 Sirius *Grotius* Si prius *VA* ‖ blandusque *V corr. manus 1 A* ‖ herbas *V* hęrbas *A* 741 nutrit tepefacta *A* nutrite pe facta *V* 744 fuluo *VA cf. Hermes XII p. 155 n. 22* 745 coruscant *V* coruscans *A* *u. 747 inscribitur* LEPVS *VA*

urguetur cursu rutili canis. ille per aethram
effugit instantem, premit autem Sirius ore.
auritum primis emittit gurges ab undis,
ille minax pauidum super editur et procul idem,
cum lepus occiduum sese inclinauit in aequor,
more latebrarum repetens freta, Sirius alto
defluit ab caelo mersumque per umida quaerit.
  Magnus Iasoniam cauda canis extrahit Argo
puppe refulgentem. neque enim se Thessala cumba
solemne in faciem rostro mouet. extima puppis
surgunt Oceano, uelut alto a gurgite nautae,
cum portum tenuere, auidi uolitantia raptim
sipara conuertunt tergumque incurua remulsi
litora certatim subeunt simul. illa marinas
iam defuncta uias procul imi litoris algas
pone subit terramque tenens secura quiescit.
sic Argo rutilam tantum inter sidera puppim
ducit et occultat rigido tenus altera malo.
sponte gubernaclum puppis demittit in undas
celsior ac merso descendit in aequora clauo.
  Distantem Andromedam prolixi tramite mundi
perterret cetos. nam Threicii prope flabra
Andromedam boreae celso rotat aethere cardo,
belua dira noto uehitur, trahit auster in arcton

---

749 urguetur *V* urgetur *A* Vergetur *L* || aethram *VA* aethra *correxit L* 750 effugit *VA* Voluitur *L* || autem *VA* igneo *L cf. Hermes XIII p. 359 n. 38* 752 super editur *VA cf. Hermes XIII p. 365 n. 49 u. 756 inscribitur* ARGO *VA* 757 cumba *V manus 1 A* cymba *correxit manus 2 A* 758 solemne *VA* solenni *v* || rostro *Heinsius* ostro *VA* 761 incurua *A* in curua *V* || remulsi *scripsi cf. Hermes XV p. 184 n. 55* remulco *VAe* 764 quiescit *V* quiescat *A* 765 tantum (tm̃) *e* tantam *VA* || puppim *A* pupĩ *V* 766 ducit et *Buhlius* ducitur *VA* 767 gubernaclum *A* gubernaculum *V* || demittit *Schraderi commentarius Berolin.* dimittit *VA u. 769 inscribitur* CETOS *V* cetus *A* 770 cetos *A* ectos *V* || Threicii *A* Treicii *V* 771 boreae *A* boraeę *V* || cardo *V* carda *A* 772 auster in arcton *Grotius* austeri norto *V* auster in orto *A*

ora inimica salo. nam qua se laniger alto
caelo aries tollit, qua piscibus astra duobus
augentur, rutilat subter Nereia pistrix,
efflua percurrens non multum fluminis astra.
illa memor longae formidinis, illa duorum
inter signa tenax horret squalentia monstri
terga procul pauidumque super caput inserit undis.
Quin et caeruleo flumen quoque gurgite manat
astra inter sedesque deum. pars aequor id esse
credidit. Ausonii namque hunc dixere priores
Eridanum, Venetos late qui lapsus in agros
Alpino Hadriacos inpellit gurgite fluctus.
hic fusum caelo quondam Phaethonta sub undas
excepit senior, leue cum sensere iugales
aetherii rectoris onus cumque ignifer axis
tramite sub mundi mortales spreuit habenas.
didita tum late texere incendia terras;
astra uorax ignis, flammae sola cuncta coquebant,
donec fata sui miseratus Iuppiter orbis
redderet aetherii Phoebo moderamina cursus.
illum prolixis durae Phaethontides alnis
planxerunt, rediit supero pax aurea mundo
Eridanumque senem nutu Iouis omniparentis
astra receperunt. Pharium pars altera Nilum
conmemorat, largo segetes quod nutriat amni

---

776 multum *VAe* multi *v cf. Hermes XIII p. 360 n. 39* 777 formidinis *V correxit A* || duorum *VA* suorum *Grotius* *u. 780 inscribitur* FLVMEN *VA* 780 manat *scripsi cf. Hermes XII p. 156 n. 23* manas *V* manans *A* 781 aequor id esse *Grotius* aequoris esse *VA* 783 Eridanum *A* Heridanum *V* 785 Phaethonta *V* Phaetonta *A* 787 onus *V* honus *A* || cumque ignifer *V* cum signifer *A* 788 habenas *A detritum ut legi nequeat V* 789 didita *Grotius* Didata *V* Dedita *A* 793 Phaethontides *e* phaethodides *V* phaetontides *A* || alnis *N. Heinsius* ulnis *VA* 795 Eridanumque *A* Heridanumque *V* || nutu *e* nuntii *V* nam tum *A*

arentisque locos unda fecundet alumna
uel quod de medii prolapsus parte diei
uastus in aequoreas pelagi sese inferat undas.
iste pedem laeuum rutili subit Orionis
fusaque quae geminos adstringunt uincula pisces
Eridani coeunt amfractibus, ut procul ille
tenditur effusi ui gurgitis. huc quoque cristae
cedit apex, summa qua lux pistrice coruscat
desuper et flamma caudarum cingula figit.
Inter demissum procul in uada caerula clauum
puppis Iasoniae depictaque terga carinae
et pistrim undicolam, leporis qua tenditur aluus,
stellarum creber rutilat rubor. haut tamen istis
uel lux multa micat uel fit memorabile nomen.
nulli etenim formae flammarum Iuppiter ignes
discreuit, nullos simulant haec corporis artus,
qualia digesto mundus sacer ordine uoluit,
semper in antiquum retrahens iter omnia secum
saeclorum serie longa. istas denique signant
interualla faces, similis quoque lux habet omnis,
par modus; occasu pariter referuntur et ortu.
†nec expectanda forent ponto quod sola carerent.
cetera descriptis aptantur singula membris
formarum. flagrans leporem qua Sirius urget,

---

798 fecundet *Grotius* fecundat *V* fęcundat *A* 799 prolapsus *V* lapsus *A* || parte *e* parente *VA* 800 pelagi *e* pelago *VA* 803 Eridani *A* Heridani *V* || amfractibus *V* anfractibus *A* || ut *VAe* hic *Grotius cf. Hermes XII p. 156 n. 24* 804 huc *V* hic *correxit manus 2 A* || cristae *V* crista *correxit manus 2 A* 805 pistrice *e* pristice *V* pristina *A* *u. 807 inscribitur* PISCIS MAIORIS *V* piscis maior *A* 807 uada *V* cada *A* || clauum *V correxit A* 809 et pistrim undicolam *V* Pistri mundicolam *A* 815 antiquum *A* antiqũ *V* 816 serie *A* seriae *V* 819 nec *VAe* ne *v* || expectanda *VA* spectanda *Grotius* || carerent *V* caremus (*deleuit A*) carerent *A* haec spectanda forent forma nisi cuncta carerent *conieci cf. praefat. p. XVII sq.*

languida nec certo sub nomine cuncta feruntur.
Ultra saetosi rursum speciem capricorni,
cardinis inmersi qua sunt australia flabra,
in pistrim horrificam conuersus uiscera piscis
subuehitur. notium uocat istum Graecia piscem.
stellae aliae mundo, qua pulcher aquarius instat
et qua cristato consurgit belua dorso
usque sub aerii rutilantia sidera piscis,
sunt mediae flammae, sterilis ac lucis egenae,
nam passim ignoti uice uulgi semet in aethram
protollunt. dextram sed tantum propter ephebi,
pocula quem diuum mensis gestare loquuntur,
efflua se species liquidarum fundit aquarum
partis in geminas. lux illic clara duabus
est solum facibus. non haec spatiosa per aethram
interualla tenent neque lumen lumine forte
conlidunt. alii Phrygium nam subter ephebum
ardet apex, alii, qua curuam belua caudam
terminat, insignis late uomitur globus ignis.
cunctis nomen aqua est. quin stellae denique propter
ora sagittigeri, qua se uestigia prima
cornipedis simulant, circumuoluuntur Olympo,
quis face sub tenui tenebrosus marceat ignis.
Ecce uenenatae qua scorpius agmine caudae
plurimus erigitur tepidumque super micat austrum,
paruulus hic aram locus exprimit. hanc satis arto
tempore suspicies mundo rutilante referri.
nam polus, aduerso qui tollitur axe Bootis,

---

822 feruntur *A* fer̄ *V* 828 dorso *A* dorsū *V* 837 tenent *V* tene *A* || lumine forte *v* ubiuia fonte *V* obuia fonte *A* uotiua fonte *e* 838 alii *VA* uni *Grotius cf. Hermes XV p. 187 n. 66* 841 cunctis *v* cuncti *VAe* || aqua *V* aquę *A* || est *V om. A* || quin *Schraderi commentarius Berol. cf. Hermes XV p. 187 n. 67* qui in *VA* *u. 845 inscribitur* ARA *VA* 846 super micat *A* supermicata *V* 847 hanc *Grotius* hoc *VA* 849 qui *VA cf. Hermes XV p. 187 n. 68*

quantum suspenso uada linquit turbida caelo
Oceani, tantum in sibimet contraria tendit.
Arcturum uertex leuat arduus, umbrifer austri
aram cardo premit. breuis olli semita caeli
occasusque celer, tamen isto luciparens Nox,
fata hominum miserata prius, miserata labores,
certa procellarum statuit procedere signa.
ne tibi, cum denso conducitur aere caelum,
inter nimbiferas nubes spectabilis exstet
ara poli, longa ut glomerent circumque supraque
feta pruinarum se uellera, qualia tristi
coguntur uento terraque excita per aethram
nubila conceptos effundunt desuper imbres!
non arae, non sit tali sub tempore uertex
clarior! hoc nam saepe notum praenoscere signo
Nox docuit! Noctis siquis praecepta sequatur,
incassum zephyri uoluunt mare: siquis at ista
respuat, incautas percellent flabra carinas.
uix, si sera Iouem subeat miseratio rerum,
pigra salus nautis redeat fluitantibus alto.
certior ast ollis ueniet spes, axe supremo
si boreae stringat rutili coma fulgoris auras.
his signis austri raptabunt flabra fluentum,
donec de boreae rutilum iubar emicet axe.

---

851 Oceani *V* Oceano *A* || in sibimet contraria tendit *v* sibi *quam uocem excipit spatium uacuum VA* ſibi met contraria tendit *e* 852 umbrifer *scripsi cf. Hermes XVI p. 133 n. 95* imbrifera *V* imbrifer *A* 854 isto *V corr. manus 2 A* 855 labores *A* labore (?) *V* 859 supraque *A* supra *V* 860 se *V* qua (*deleuit A*) se *A* 862 conceptos effundunt *e* concepto fefundunt *V* concepto se fundunt *A* 864 saepe *A* sepae *V* || praenoscere *v* pronoscere *VAe* 866 incassum *V* in cassum *A* || uoluunt *A* uolunt *V* 867 percellent *V* procellent *A* 868 si sera *Grotius* sissera *VA* sis sera *e* 870 ast ollis *V* attollis *A* 871 boreae *A* borae *V* || rutili *V* rutilo *A* || fulgoris *Ve* fulguris *v cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XIII* coma fulgoris auras *om. A* 873 boreae *A* bore *V*

at si Centaurum medio sub tramite caeli
uideris, ut fluctu tantum discedat eoo,
quantum adit occasum, sit tectus desuper autem
nube umerum et caelo sint omnia signa priora:
eurus erit, uerret salsi uada gurgitis eurus.
  Contemplator enim geminae rutilantia formae
uiscera, quae signis subtexit membra duobus.
nam qua parte hominem quadrupes sustollit equino
uentre super stantem, uersatur scorpius ingens:
at qua cornipedem media uir fundit ab aluo,
curua uenenati sunt tantum brachia signi.
ille autem, dextram protendere uisus ad aram
caelicolum, iustae persoluit munera uitae
agrestemque manu praedam gerit. hic, ubi celso
Pelion adsurgit dorso nemorosaque late
inserit aeriis iuga nubibus, arbiter aequi
egerat Alcidae legum post bella magister.
  Desuper ingenti sese agmine porrigit hydra,
quae prolata salo longe latus explicat aethra,
in cancrum protenta caput, caudamque feroci
Centauro inclinat, transit spatiosa leonis
uiscera et ingenti sub uirgine summa quiescit.
quin et eam spirare putes: sic agmina caelo
lubrica conuoluit, sic spiras pendula torquet,
sic et flammigero linguam iacit ore trisulcam.
spirarum medio gestat cratera coruscum,
ultima caeruleum sustentant agmina coruum,
ales ut intento fodiat uaga uiscera rostro.

---

876 sit *V* si *A*   878 salsi *V* salsa *A*   *u. 879 inscribitur* CENTAVRVS *VA*   880 quae *v* quod *VAe*   882 super stantem *A* superstantem *V*   888 Pelion V Pelius *A*   890 egerat *VA* degerat *Grotius* || magister *V corr. A*   *u. 891 inscribitur* HYDRA *VA*   892 salo *V* solo *A* || longe *e* longa *VA*   894 inclinat *V corr. A*   895 summa *A* suma *V*   896 et eam *scripsi cf. Hermes XV p. 184 n. 57* uitam *VA* || spirare *V* sperare *A*   901 uaga *VA* caua *Hauptius cf. Hermes V p. 189*

Ultimus est procyon, geminorum subditus astro,
ore micans rutilo, trina face uiscera lucens.
Ista uolutatos cernuntur cuncta per annos,
haec uehit Oceanus pater omnia mersaque rursus
hauriet Oceanus, trahit ingens machina caeli
cuncta super. pingunt rutilam sua sidera noctem.
Quinque itidem stellae, similis quibus haut sit imago
nec quas formarum ductus notet adfixarum,
per bis sena poli uolitant rutilantia signa.
nullus eas aliquo pacto deprendere certet,
nam uaga per totam cunctis uia defluit aethram
semper et aduerso referuntur tramite mundi.
mundus ab eoo trahitur reparabilis alto,
pronus Atlantei procul in uada caerula ponti.
illae in subrecti cogunt iter aetheris orbem,
nitentes in summa poli motuque feruntur
aduerso solis radiis ceu, cum uada cumbam
prona uehunt, siquis prora nitatur ab alta
in puppim proferre pedem, uia carpitur olli
cursibus inceptis contraria. uis tamen istis
obuia labentis semper sustollitur aethrae
unicaque in solis adolent incendia flammis.
longa uolutandis tamen ollis tempora currunt

---

u. 902 inscribitur PROCYON *VA* 902 Procyon *A* procion *V* 905 haec *v* hac *VAe* 906 hauriet *V* hauritet *A* 907 super. pingunt *Grotius* superpingunt *VA* *u. 908 inscribitur* PLANETAE *VA* 908 similis *V* similes *A* 909 nec quas *v* nequas *VAe* ‖ ductus *Grotius* doctus *VA* 910 bis sena *A* bissenna *V* 911 aliquo *Grotius* alio *V post quinque uel sex litterarum spatium vacuum A* ‖ deprendere *v* dēpendere *V* deprehendere *A* depraehendere *e* 915 in uada *V quinque litterarum spatium uacuum praebet A* 916 subrecti *V* subiecti *A cf. Hermes XV p. 188 n. 69* 918 cumbam *V* cymbam *A* 920 olli *V* alli *corr. A* 921 inceptis *e* incaeptis *V* incoeptis *A* ‖ uis tamen istis *e* uis. istam. istis *V* uis ita in istis *A* 922 labentis *Grotius* labenti *VA* 923 unicaque *V* unica quę *A* 924 uolutandis *V* colluandis *A*

pigraque se referunt, sedes sortita priores,
omnia. non illas animis audacibus ergo,
carmine non caeco temptabimus. hoc satis unum
musa mihi, satis hoc longi labor egerit aeui,
si defixarum cursus et signa retexam.
  Quattuor aerios zonae cinxere meatus,
quattuor has cursus et tempora nosse uolentem
scire sat est. quin signa etiam sunt quattuor istis
plurima, quae zonis haerentia conuoluuntur.
ipsae inconcussa retinentur sede per annos
mutuaque inplexae sibimet consortia mordent,
at modus in binis protenditur. aurea pepli
sidera nocturni si suspectare libebit
nec scindunt medium Phoebeia lumina mensem,
langueat ut stellis species hebes, omnia caeli
inlustrante dea ac flammas superante minores,
orbe sed haut pleno sinit igni feruere acuto
sidera: candentis speciem super inspice lactis
protendi caelo. color olli nomen ab ortu
primigeno statuit. sic zonam Graecia sollers
concelebrat, nostro sic balteus ore notatur.
non isti forma similis similisue colore
circulus est alius, modus et mensura duobus
est conpar solis, alios duo parcior artat
linea nec multa trahit istos ambitus aethra.
  Horum alius, duri qua soluunt flabra aquilones
et qua praecipitant borealia flamina sese,

---

925 sedes *A* sede *V*   927 temptabimus (tentabimus *Grotius* temptauimus *VA*   *u. 930 inscribitur* CIRCVLI *VA*   931 has *V* hos *A*   935 inplexae (implexę) *A* inplexa *V*   938 scindunt *V* condunt *A* ‖ Phoebeia *e* Phobeia *V* Plebeia *A*   939 langueat ut stellis *Grotius* languet ut in stellis *V* languat ut in stellis *A* ‖ hebes *A* ebes *V*   941 igni *V* ignis *A*   943 olli nomen *V* ob linomen *A*   944 primigeno *V* pinigeno *A*   948 est *V* et *A* ‖ parcior *e* paruor *V* aiuor *ante* aiuor *duarum litterarum spatium uacuum A*   950 qua soluunt *Grotius* cum soluunt *V* conuoluunt *A*   951 qua *Grotius* cum *VA*

axe Lycaonio iacet obuius. hic geminorum
sunt capita, hic genua aurigae defixa quiescunt.
circulus hic idem retinet pede Persea laeuo
adque sinistro umero, cubito tenus hic quoque dextram
sustinet Andromedae, manus extima desuper acri
subrigitur boreae; cubito inclinatur in austrum
maerens Andromeda. hic celeris uestigia summa
praestringuntur equi, praestringitur ales ab ipso
uerticis extremo. secat hic umeros ophiuchi
circulus et secum flagrantia dorsa reuoluit.
Erigone tepidum sese submittit in austrum
uirgineusque pudens zonae super imminet artus.
sed leo, sed cancer borealis tramite caeli
uiscera protendunt. at circulus ima calentis
pectora perque aluum procul in postrema leonis
succedit. secat ast alium per uiscera plana
et medio subter caua tegmina diuidit orbe,
lumina secludens altrinsecus. orbita porro
ista poli partis si discernatur in octo,
quinque superuoluit se partibus, at tribus alti
intrat stagna sali. Sol istinc flammifer aethram
iam relegit pulsuque deus semel ordine facto
flectitur aestiuo neque celsum semita in axem
sideris erigitur. uia rursum nota iugales

---

952 axe Lycaonio *V* a Lychaonio *post* a *spatium duarum litterarum uacuum A* 953 hic *v* hoc *VAe* ‖ aurigae defixa *V* auriga edefixa *A* 958 maerens *V* m res *post* m *duarum litterarum spatium uacuum A* ‖ Andromeda *corr. V* Andromedę *A* ‖ hic *v* hoc *VAe* uestigia *A* uertigia *V* 960 extremo *v* extremum *VAe* 961 flagrantia *V* flagramen *A* ‖ dorsa *V* adorsa *A* 962 submittit *correxi* summittit *V* submittere *A* 963 uirgineusque *V* uirgineosque *corr. A* ‖ super imminet *scripsi* superimminet *v* super inuidet *VAe* 964 borealis *V* borealia *A* 966 aluum *V* alium *A* 967 succedit *V* secedit *A* 968 orbe *Schraderi commentarius Berol.* orbem *VA* 970 si *V corr. A* 972 intrat stagna *v* intrat in stagna *Ve* in at in stagna *post* in *duarum triumue litterarum spatium uacuum A* ‖ sol istinc *V* soli stinc *A*

suscipit inque notum rutili redit orbita solis.
Circulus iste quidem cancro tenus adiacet axem
semper inocciduum. procul alter cardine in austri
diuidit imbriferi corpus medium capricorni
Idaeique pedes pueri postremaque caudae
caeruleae pistris. breuis hic lepus, hic canis artus
conditur extremos, hic Thessala cernitur Argo,
hic Centaureae fera molis terga secantur.
iste uenenatae disiecta uolumina caudae
amputat, hic arcu protenditur ampla sagitta.
ultimus hic Phoebo locus est, ubi lapsus in austrum
pellitur, albenti cum canent tempora bruma.
sideris hic metae: procul istuc caelite curru
axe sereniferi descendit Sol aquilonis.
partibus iste tribus tantum se circulus effert,
quinque latet, crepuli succedens stagna profundi.
Inter utrumque dehinc, quantus iacet ambitus illi
zonarum, cani specie quae lactis in aethra
cernitur, ingenti se tramite linea tendens
diuidit ima noti, discernit et alta aquilonis.
hic luci modus et tenebris sub lege magistra
pensatur: nox aequa diem subit aemula. Phoebus
lumina substituit paribusque reuoluitur horis,
uel cum summa aestas coquit agri uiscera hiantis
uel cum floricomo iam tellus uere mouetur.
ast isti, celsae qua tramite panditur aethrae,
indicium est aries, hunc totum linea quippe

---

977 cancro tenus *e* canoretenus *VA* ‖ axem *scripsi cf. Hermes XIII p. 360 n. 40* axe *VA* 978 inocciduum *correxi* in occiduum *VA* 981 caeruleae (ceruleae) *A* cęrulę *V* ‖ artus *V* arcthus *A* 982 extremos *v* extremus *VA e* 983 molis *V* mollis *A* 991 succedens *e* succedens *VA* 992 ambitus illi *e* abitus·illi *V* arbiter olli *A* 993 cani *V* canis *A* ‖ specie quae *A* speciem quae *V* 994 tendens *V* tendent *A* 996 hic luci modus *V* hic dus *post* hic *sex litterarum spatium uacuum A* 997 nox aequa *V* noxae que *A* ‖ Phoebus *V* Phoebo *A* 1001 ast isti *V* astisti *A* ‖ aethrae *v* aethra *VA e*

sustinet. hic tauri curuantur crura minacis
et rutilat stellis hic balteus Orionis.
spira anguis leuis hic craterque, tenacia corui
ora inhiant. hic sunt flexarum denique flammae
chelarum, genua hic rigidi uibrant ophiuchi.
nec Iouis armigero caret alite, namque per ipsum
fulua aquila est. caput hic equus eminet hicque comanti
ceruice erigitur clarae dator Hippucrenae.
tris omnis recte contentos tramite caeli
distantisque pari spatio sibi transigit axis,
omnibus et mediis ut circumfunditur idem.
Desuper obliqua est alii uia quartus et iste
stringitur artatus zonarum mole duarum,
quas ab diuersa mundi regione locatas
cire repercussi momentum diximus astri.
hunc alius medium medius secat. haut dea Pallas,
uel licet haec cunctos praecellat acumine diuos,
conpingat parili sic lubrica plaustra meatu,
inplicet ut spatiis sibimet distantibus orbis,
qualia deuexo nectuntur ab ordine cuncta
urgenturque uiam similem noctesque diesque
lucis ab exortu procul in uada Calpetana.
namque Tithoneo cum sunt elata profundo,
rursus in occiduos merguntur singula fluctus
ordine partito: similis nascentibus ortus
scandendi lex una mouet, par denique lapsus
omnibus et simili conduntur sidera casu.

1003 curuantur *V* curuarunt *A* 1005 craterque *v* crater et *VA* craterq; & *e* 1008 *cf. Hermes XV p. 185 n. 58* 1010 Hippucrenae *V* Hippocrenes *A* 1011 recte *VA* recto *Grotius* *u. 1013 omittunt VA* *u. 1014 omittunt VA* 1014 alii uia *scripsi* aluuia *e* aliis uia *v cf. praef. p. XVIII sq.* 1017 cire *Grotius* scire *VA* 1019 diuos *A* diuus *V* 1020 meatu·*A* metatu *V* 1023 noctesque *A* nocteque *V* 1024 Calpetana *Grotius* Calpetitana *VA* calpetitana a calpes *margo A* 1025 namque *VA* nam *Grotius* || Tithoneo *A* thithoneo *V cf. Hermes XVI p. 124 n. 79* || sunt elata *V corr. A*

ille autem Oceani tantum descendit in aequor,
quantum ab caeruleo distat cancro capricornus
et quam multus item est, ubi gurgite protulit ortum,
tantus in aduersas itidem est cum labitur undas
signifer. in spatio, quantum deducitur orae
ambitus extremae, puncti uice terra locanda est.
unde acies oculis cum tenditur, haec quoque puncti
sedem habet. hoc signo procurrit missa per auras
signiferi in summum. medio de tramite siquis
dirigat obtutus agilis procul hosque locorum
defessos longo spatio tener amputet aer:
id, quod contenti uisus abscinditur, ultro,
siqui in signiferi patulum circumferat orbem,
sex olli partis magnae dabit ambitus orae.
ast hae dimensa spatii sic lege locantur
binaque decisis includunt partibus astra.
olli cancer inest, leo flammifer, Attica uirgo,
brachia sunt itidem chelarum et scorpius ipse,
arquitenens, saetosa dehinc species capricorni
uoluitur, auratam protendit aquarius urnam,
tum duo sunt pisces, aries taurus geminique.
his se bis senis sol admouet hisque recurrens
omnibus absoluit totos reparabilis annos.
quem cum signiferi graditur sol aureus orbem,
singula frugiparos attollunt tempora uultus.

1034 orae *v* horae *VA e* 1036 oculis *VA* oculi *Scaliger ad Manil. I 554* 1037 hoc *v om. Ve* in *A* 1039 dirigat *A* derigat *V* 1040 defessos *e* defensos *VA* || tener *V* tenet *A* 1041 abscinditur *V* absciditur *A* 1043 sex *v* Ex *VA e* || orae *v* horae *VA e* 1044 hae dimensa *V* hoedi mensa *A* 1045 binaque *A* bina *V* || includunt *v* includant *VA e* 1046 flammifer *e* famifer *V* flamifer *A* 1049 uoluitur *V* Vel cum summa ęstas coquit *in* uoluitur *mutauit manus 1 A librarius pro u. 1049 iteraturus erat u. 999* 1051 his se bis senis *e* His-saebis senis *V* His se bissenis *A* || admouet *V* ammouet *A* 1053 quem *Grotius* quae *VA* 1054 frugiparos *V* frugiferos *A*

illius Oceano quantum submergitur alto,
tantum telluris super eminet. omnibus iste
noctibus inlabens pelago sex inserit astra,
sex reparat. tanto nox umida tempore semper
tenditur, extulerit quantum se circulus undis.
  At si scire uelis, mora lucem quanta retentet
et quanto nox atra sibi trahat otia lapsu:
quae procul Oceano consurgunt, signa notato,
horum semper enim comes est Titanius uni.
horum prima oculis memor incunabula quaere,
luminis ipsa uagi captans uenatibus, ipsa,
ipsa notans mundo. quae si se nubibus abdent
aut si, cum surgunt, ut tellus saepe tumescit,
occultata iugo praetextaque rupe latebunt,
prompta uia est aliis uenientum tempora signis
noscere. namque ipso deprenderis indice cuncta
Oceano, magnam qua circum amplectitur undis
tellurem, curuet celando ut litora mundo
latius adque sinu patuli salis hauriat astra.
istius indicium praebebunt cornua semper,
uel matutino qua perstrepit aera fluctu,
acer Atlantei uel qua furit aequoris aestu.
  Nam non obscurae, cum cancer commouet ortum,
Oceano stellae circumuoluentur utroque,
in freta labentes aut quae *se* rursus eoi
parte ferunt mundi. Minoae clara coronae
serta cadent, austri tergo cadet incola piscis.
hunc medium pendere tamen mediumque sub undas

1056 super eminet *correxi* supereminet *VA* 1059 extulerit *A* extullerit *V* 1061 trahat *V* trahit *A* 1066 mundo quae *A* mundoq: *V* || si *Grotius* sic *VA* 1067 cum surgunt *scripsi* consurgunt *VA cf. Hermes XV p. 185 n. 60* 1068 praetextaque *scripsi* praetentaque *VA* 1069 aliis *v* alii *VA e* 1070 noscere *V* nossere *A* || deprenderis *V* deprȩhenderis *A* 1075 aera *A* aere *V* 1077 obscurae *V* obscure *A* 1079 aut quae *A* autq: *V* || se *addidit Grotius om. VA e* 1080 Minoae clara *A* minoezi aeclara *V* 1081 tergo *v* ergo *VA e* || cadet *A* cade *V*

cedere per spinam rutila labente corona
semper suspicies, at tergi plurima uersum
uentre tenus summo supera inter sidera cernes:
os et colla dehinc et pectora uasta per aequor
mersantur. premit ab genibus celsos ophiuchum
usque umeros cancer, cancer premit ortus et anguem,
agmine qua uasto fluitat caput, aspera ceruix
qua tumet et spiris qua turgent pectora primis.
parte nec Arcturus distabit multus utraque,
iam minor in superis, iam uiscera plurimus alto
conditur. hunc etenim consortem quattuor astris
Oceanus recipit. satur hic uix luminis omnis
cedit et incipiens tandem conuexa relinquit.
tum iam plus mediis nox inclinabitur horis,
cum labente die Phoebo comes ibit in undas.
ista quidem uasti conduntur gurgitis alto,
contra autem nullo reses ortum uiscere profert
Orion, rutilans ardentia cingula late,
et flagrans umeros et splendens ense corusco
Eridanumque trahens alio se litore promit.
  Adueniente dehinc uilloso colla leone
omnia, quae cancro sese emergente per aethram
extulerant, abeunt. quin et Iouis ales in undas
conditur et totis raptim petit aequora pinnis.
sed nixus genibus replicato crure residens

1085 cernes *A* carnes *V* 1087 celsos ophiuchum *A* celso sophuicū *V* 1089 fluitat *Grotius* pluit ad *VA* 1090 qua tumet et *e* Quantũ et *V* Quantum et *A* 1093 hunc *V* hic *A* 1094 satur hic uix luminis *V om. A* ‖ omnis *scripsi cf. Hermes XVI p. 123 n. 75* amnis *VA* 1095 incipiens *Grotius* inspaciens *V* inspiciens *A* 1097 Phoebo *V* Phoebe *VAe* ‖ labente *A* labende *V* 1099 nullo reses ortum uiscere profert *scripsi cf. Hermes XII p. 157 n. 25* nullo n̄ uultũ uiscere uorans *V* nullo non uultum uiscere ũorans *A* 1100 cingula *V* sydera *A* 1102 Eridanumque *v* Heridanumque *Ve* Heridianumque *A* ‖ alio se *v* alios e *VAe* 1103 leone *A* leonae *V* 1107 crure *Schraderi commentarius Berol.* lucre *VA*

poplite iam superi celatur corporis artus.
non tamen iste genu, non laeuam gurgite plantam
occulitur, non Oceanus uorat omnia signi.
proserit hydra caput, claro lepus exilit ortu
et procyon primique pedes canis ignicomantis.
  Erigone salsis cum uultum exegerit undis,
aeris ut patuli iam conscia permeet aethram,
astrorum numerosa premit. nam uirgine eoo
consurgente freto cedit lyra Cyllenaea,
cedit delphinus pelago ceditque sagitta
primaque pinnarum pars canum condit olorem,
uix iam cauda salum superat. uix lumine parco
eminet Eridanus, ponti procul efflua tinguit.
celatur sonipes caput inpiger, ardua ceruix
Tethyos ima petit, salso iuba rore madescit.
hydra superpositum procul in cratera mouetur
parte alia et liber uestigia Sirius ardet,
ultima caeruleo protelans aequore puppim.
illa micat maloque tenus sese exerit Argo,
cum iam uirgineos aether uehit altior artus.
  Nec, cum flagratas emittunt marmora chelas,
sideris expertis et clara luce carentis,
non est nota dies aut est ignobilis ortus.
namque his indicium proprio fert ore Bootes
plurimus exoriens Arcturumque eminus alto
cardine succendit. iam celso Thessala puppis
aethere subuehitur, iam mundo funditur hydra

1108 celatur *A* caelatur *V* 1109 iste *v* isto *V* ista *A e* 1112 procyon *A* protion *V* 1115 nam *V* iam *A* 1116 lyra *A* lura *V* || Cyllenaea *e* Cyllenaee *V* Cyllenea *A* 1117 delphinus pelago *V* delphinus cedit pelago (cedit *deleuit*) *A* 1118 condit *V* cundit *A* 1120 ponti *A* ponto *V* || efflua tinguit *V* effluat hinnit *A* 1121 ardua ceruix *e om. VA* 1122 Tethyos *A* Thethios *V* || iuba rore *N. Heinsius* iubar ora *V* iubar ore *A* 1128 flagratas *A* flagrata *V* || marmora *A* marmo *V*

longior extremaeque polum subit indiga caudae,
curua Chii caelo cum surgunt brachia signi.
inspice ceu dextra referatur ab aethere planta
inque genu tantum nixus pede proferat ortum.
iste lyrae rutilat conterminus adque sub undis
hic tenebris petit occidui uada caerula ponti
et mox Oceano reparatur clarus eoo.
cum chelis igitur pede tantum promitur uno.
ipse dehinc uersus procul in caput ultima monstri
terga manet, manet, arquitenens dum spicula caelo
exerat et supera uibret bellator in aethra.
hoc sidus reuehunt chelae; crus scorpius ipse,
cetera cum medio, laeuam et caput oraque sursum
arcus agit. tribus hic tandem remorantia membra
partibus erigitur, tria totum denique signa
absoluunt pelago. mediae tum serta coronae
et quae Centauro diffunditur extima cauda,
prima uenenati cum repunt brachia monstri,
surgunt Oceani iam gurgite. et ultima cygni
et caput acris equi premit aequora. iam procul ista
marmoris occidui penitus petiere profundum,
hausta salo. caput Andromedae freta uasta receptant
ac formidatam deuexi cardine mundi
fluctigeni speciem monstri super inuehit auster.
sed boreae de parte trucis uelut aggere ab alto

1135 extremaeque *A* extremeque *V* ‖ indiga *v* indica *VA e* 1136 cum surgunt *Grotius* consurgunt *VA* ‖ signi *A* signa *V* 1139 lyrae *A* lyre *V* 1140 uada *Schraderi commentarius Berol. Schaubachius* uaga *V* iuga *A* 1146 hoc *A* haec *V* ‖ crus *V* trux *A* ‖ ipse *V* ipso *A* 1148 remorantia *A Grotius* memorantia *V* 1151 et quae *Grotius* Exque *VA* ‖ extima *V* ultima *A* 1152 uenenati *A* uenena *V* 1153 Oceani *scripsi cf. u. 430 sq.* Oceano *VA* ‖ gurgite *v* gurges *VA e* 1154 acris equi *e* agri sequi *V* agrise qui *A* 1156 Andromedae *A* Andromede *V* ‖ receptant *V* receptans *A* 1158 speciem *v* specie *VA e* ‖ super inuehit *A* supinhueit *V* 1159 boreae *A* boraeę *A*

prospiciens superi subrecto uerticis axe
intentusque procul specie uaga brachia Cepheus
exerit et saeuam pelagi monet adfore pestem.
illa tamen uersa in fluuium postrema profundo
tinguitur ab spina, capiti quae proxima summo est.
undas succedens Cepheus et uerticem et ulnas
mersatur patulas. quin et cum scorpius acer
nascitur Oceano, quidquid per sidera aquarum
ad speciem Eridanus pater expuit, abditur alta
Tethye et occidui tegitur Padus aequore ponti.
scorpius ingentem perterritat Oriona,
proserpens pelago. uetus est, Latonia uirgo,
fabula nec nostro struimus mendacia uersu.
prima, nefas! duri conpegit germinis aetas,
prima dedit populis. caecus mos mentis acerbae
inmodicusque furor sceleris penetrauerat oestro
inpia corda uiri. caluerunt dira medullis
protinus in mediis incendia, plurimus ardor
pectore flagrauit. tene inprobus ille procaxque,
te, dea, te dura ualuit contingere dextra,
cum sacrata Chii nemora et frondentia late
brachia lucorum, cum siluae colla comasque
deuotae tibimet manus inpia demolita est,

1160 subrecto *Grotius* subuecto *VA cf. Hermes XV p. 188 n. 69* 1161 procul specie *V* procul uaga specie (uaga *deleuit*) *A* || Cepheus *v* epheos *VA* cepheos *e* 1163 profundo *VA* profundum *Grotius cf. Hermes XVI p. 125 n. 81* 1164 tinguitur *V* tingitur *A* 1165 undas *scripsi cf. Hermes XII p. 160 n. 31* unda *V* undique *A* || succedens *e* succendens *VA* || uerticem *V* uertice *A* 1166 cum *A Grotius* tum *V* 1168 Eridanus *A* heridanus *V* 1169 Tethye *V* Tetre *A* 1171 est *A* o *V* 1173 conpegit *scripsi cf. Hermes XII p. 158 n. 28* c̄pegi *V* cum pegi *A* 1174 acerbae *A* acaerbę *V* 1175 inmodicusque *correxi* immodicusque *A* inmodicus quae *V* || penetrauerat *v* penetrauerit *VA e* 1176 caluerunt *VA* tabuerunt *e cf. Hermes XVI p. 123 n. 74* || medullis *A* medullus *V* 1178 tene *V* tener *A* 1179 te dura *V* re dura *A* 1182 demolita *A* demoliita *V*

audax ut facinus donum foret Oenopioni?
digna sed inmodico merces stetit illicet ausu.
nam dea nubiferi perrumpens uiscera montis,
dirum antris animal saeuos uomit hostis in artus.
ergo ut falcatis monstrum petit Oriona
morsibus et totas in membra ferocia chelas
intulit, ille mali poenas luit. ista furori
praemia debentur: sunt haec conmercia laesis
semper numinibus. metus hic, metus acer in astro
permanet et, primo cum scorpius editur ortu,
Orion trepido terrae petit extima cursu.
nec minus Andromedae quidquid uolitabat in aethra
et siquid pistris reliquum conuexa uehebant,
hoc oriente ruunt. omnis procul in uada terror
inserit et cunctos pauor unus in aequora cogit.
Cepheus ipse caput distentaque brachia uasto
induitur ponto, tellurem cingula radunt
extima et Oceano mersantur pectora rauco
sola senis; relicum polus ast a litore uersat,
semper inocciduum. genetrix quoque Cassiepia
sidera praecipitis sequitur labentia natae
deformemque trahit procul in uada caeca ruinam.
prona caput solio, solio uestigia ab alto
sustollit miseranda super. quatit ira furorque

1183 ut *Grotius* aut *VA* ‖ Oenopioni *V* Oeno pioni *A* ‖ 1184 ausu *e* asu *V* astr (*deleuit*) asu *A* 1185 perrumpens *A* ferrūpens *V* 1186 in artus *V* amarus *A* 1189 mali *Grotius* malo *VA* 1190 laesis *e* laenis *V corr. A* 1194 Andromedae *v* Andromeda est *VA e* ‖ uolitabat *A* uolitabit *V* ‖ aethra *Grotius* aethram *VA* 1195 pistris *Grotius* pistrix *VA* ‖ uehebant *e* uehebat *VA* 1198 uasto *A corr. V* 1201 ast *v om. VA e* ‖ uersat *V* reuersat *A* 1202 inocciduum *Schaubachius* in occiduo *VA* ‖ Cassiepia *e* Cassiepiã *V* Cassiopea *A* 1205 caput *A* caputque *V* ‖ solio *scripsi cf. Hermes XVI p. 127 n. 85* sollo *V* solo *A* 1206 super quatit *e* superquatit *V* super caput quatit (caput *deleuit*) *A*

Doridos et Panopes post fata nouissima matrem
ac memor has poenas dolor exigit. omnia fluctus
haec simul occiduos subeunt. tamen altera mundus
sufficit inque uicem lapsorum multa reportat.
tempore namque isto reliquae se serta coronae
expediunt pelago postremique agminis hydra
erigitur caudam. caput et turgentia membra
Centauro exsuperant. manus effert dextera praedam
siluarum, nam prima ferae uestigia in ollis
arcum sera manent, arcu redeunte per aethram
protolli incipiunt. relicum serpentis et artus
anguitenentis item fert primis fluctibus arcus.
amborum capita et palmas geminas ophiuchi
ac primam rutili spiram serpentis eoo
scorpius Oceano surgens agitat. pede nixi,
quem procul auersum semper salis aequora mittunt,
tunc artus medii, tum pectora uasta umerusque
dexteraque ulnarum spumosi gurgitis aestu
procedunt. pariter caput et manus altera porro
tota, sagittigeri cum uibrant astra, feruntur.
Mercurialis item lyra uoluitur altaque Cepheus
cardine sustollens uestigia gurgite nondum
pectora liber agit, sed pectora mersus in undas
plaustra Lycaoniae pulsat pede desuper ursae.
tempore non alio magni canis ignea cedunt

1207 Doridos *e* Deridos *VA* 1208 poenas *A* penas *V* 1209 mundus *Grotius* mundis *VA* 1210 uicem *V* uice *A* 1215 in ollis *Grotius* mollis *VA* 1216 arcum *V* at cum *A* ‖ sera *A* serat *V* ‖ arcu *V* arca *A* ‖ aethram *A* aethra *V* 1217 protolli *Grotius* protulit *VA* 1219 palmas *Grotius* primis *VA* 1220 primam *v* prima *VA e* ‖ rutili spiram *A* rutilis piram *V* 1221 agitat *VA* agit. at *Grotius* 1222 aequora *Schraderi commentarius Berol. cf. Hermes XII p. 159 n. 29 et XV p. 183 n. 54* altera *VA* ‖ mittunt *A* nutunt *V* 1226 sagittigeri *V* sagittigeni *A* ‖ cum *v* cui *VA e cf. Hermes XVI p. 125 n. 82* 1227 Cepheus *A* Caepheus *V* 1229 agit *V corr. A* 1230 Lycaoniae *V* Lychaoniae *A*

sidera, protentum freta iam procul Oriona
hauserunt pelago, toto lepus occidit astro.
tum quoque et Oceano fugientem Sirius urget.
sed non aurigam, cum gurgitis ille profundi
ima petit pedibus, capra mox haediue secuntur.
ista polo rutilant, illum uada liuida condunt.
haec membris discreta aliis extantiaque alte
laeuum umerum et summae sese attollentia palmae
cernuntur, donec labenti congrada soli
sidere deuexo freta late caerula turbent.
Namque manum aurigae reliquam celsumque corusci
uerticis et dorso qua spina attollitur alto
deprimit hirsuti sidus surgens capricorni;
membra sagittigero cedunt postrema reuecto.
iam non alatus remoratur uiscera Perseus
aeris in spatiis neque clauum uindicat Argo
adluuione sali. Perseus pede denique dextro
adque genu liber mersatur cetera ponto.
Argo quod curuis puppim super attrahit oris,
tinguitur et duro tangit uada caerula dorso.
ipsa dehinc manet exortum Cilicis capricorni
totaque tum pelago caelo descendit ab alto.
aequora tum procyon, gressum sectatus erilem,
intrat et Oceano permutat celsa profundo.
haec habet occidui plaga gurgitis, ista sonoro
supprimit unda salo. rursum procul erigit aethra
cygnum aquilamque Iouis. surgunt flammata sagittae
sidera perque notum rutila cum numinis ara.

1241 turbent *V corr.* *A* 1244 deprimit *V* Ne premat *A* 1245 membra sagittigero *e* Mẽbras agittero *V* Membra sagittifero *A* 1247 uindicat *V* uendicat *A* 1248 sali *Grotius* sati *VA* 1249 liber *A* libero *V* 1250 oris *e* ores *VA* 1251 tangit *Grotius* tingit *VA* 1252 Cilicis *v* cilidi *VA* cylidi *e* 1254 tum *Grotius* cum *VA* ‖ procyon *A* procion *V* ‖ sectatus *A* secatus *V* ‖ erilem *V* herilem *A* 1256 sonoro *v* sonorum *VA e* 1257 supprimit *A* suprimit *V* 1259 notum *V* notam *A* ‖ cum *Grotius* tum *VA* ‖ numinis *e* luminis *VA*

delphinum patulas promit capricornus in auras.
Et matutino cum surgit aquarius orbe,
os equus adque pedes nouus exerit. ecce cadentis
parte poli trahit occiduum nox atra sub aequor
Centaurum cauda, sed non caput aut umerorum
uasta simul recipit. persistit pectore celso
cornipedis species et caelum uertice fulcit.
ora dehinc serpens et prima uolumina tantum
conditur. ingentis late tamen agmina caudae
pone trahit. subit ista solum, subit aequora rursum,
integer Oceani cum se Centaurus in undas
iecerit adque nouo uibrarint sidere pisces.
his in summa poli surgentibus ille per austrum
piscis item, planta quem pulcher aquarius urget,
redditur. haut toto tamen hic se corpore promit,
sed manet alterius uenientis tempora signi:
parte latet, partem supera in conuexa sonoris
fluctibus absoluit pelagi. sic brachia maestae
Andromedae, sic crura dehinc umerique nitentes
paulatim recauo redeunt maris, aurea caelo
postquam adolent pisces incendia. denique pisces
cum rutilant, mundo dextram haec attollitur ulnam
laeuaque uirginei sursum se corporis edent,
Phrixei postquam pecoris proruperit ortus.
Australem hic aries aram procul admouet undis
gurgitis occidui. qua lux redit, excitat idem

1260 patulas *Grotius* paruas *VA* 1261 cum surgit *v* consurgit *VA e* 1262 exerit ecce cadentis *e* exeritae cecadentis *V* exerit exceca dentis *A* 1263 sub *V om. A* 1267 serpens *e* spernens *VA* 1268 late *e* latę *VA* 1269 solum *VA* salum *Grotius* 1270 se *V correxit A* 1273 quem *A* q. *V* 1275 alterius *V* alternis *A* 1281 attollitur ulnam *Grotius* atollit in ulnam *V* attollit in ulnam *A* 1282 corporis edent *scripsi cf. Hermes XII p. 160 n. 32* corpori sedeunt *V* corporis edunt *A* 1283 Phrixei *scripsi* Phriss et *V* Phrisei et *A* Phrix et *e* Phrixei et *v* 1284 australem *v* australe *VA e* || admouet *A* admouit *V*

Persea proceri sustollere uerticis astra
et claros fulgere umeros. at cetera nondum
sunt exempta salo, quin totum hoc inuida ueri
natura ambigua rerum ratione reliquit,
extimus an reliquos aries produceret artus
Perseos an *tauro* freta pelleret adsurgente.
hoc una caelum subit integer; haut reses ullo
uiscere nascentis noua tauri deserit astra,
quippe huius flammis aurigae sidus inhaeret,
nec tamen hunc totum sustollit taurus in aethram.
aurigam salsis euoluunt fluctibus omnem
surgentes gemini. tauro capra plantaque laeua
adque haedi exsuperant, cum primum rursus ab undis
cetosa in superum referuntur uiscera caelum,
nam cauda et cristae rigor arduus aera celsum
tunc repetunt. diri cum sidera gurgite monstri
uoluit praecipitis teres inclinatio mundi,
eminus ingentem condit pars prima Booten.
quattuor hic etenim signis surgentibus altum
uix penetrat pelagus neque summa totus ab aethra
labitur Arcturus, manus olli quippe sinistra
iuge manet celsisque super subducitur ursis.
  At cum iam pedibus repetit fluctus ophiuchus,
ut genua Oceanus uasto procul aequore condat,
signum erit eoa *geminos* procedere parte.

1288 inuida ueri *e* inuidauerit *V* inuida uerit *A* 1292 haut (haud) reses ullo *Hauptius cf. Hermes V p. 189* haudreseullo *V* haud rese +ullo *A* 1293 uiscere *Hauptius eodem loco* uiscera *VA* 1296 euoluunt *V sex septemue litterarum spatium uacuum habet A* 1297 plantaque laeua *V* lęuaque[b] planta[a] *A* 1293 cetosa *A* caetosa *V* 1300 cauda *correxi* gauda *V u. 1300 omittit A* 1301 diri cum sidera gurgite monstri *V om. A* 1302 teres inclinatio mundi *V om. A* 1303 ingentem condit pars *V om. A* 1305 uix *V* Nec *A* 1306 sinistra *A* sinistrã *V* 1308 at cum *e* Actum *V* Ac tum *A* 1309 ut genua oceanus *V* Urgens oceanus *A* 1310 eoa *V quattuor litterarum spatium uacuum praebet A*

nec lateri pistrix cuiquam uicina uidetur,
sed iam tota super sustollitur: expuit atram
iam pelagus speciem nec adhuc tamen extima sorbet.
quid nunc nascentis suspectat nauita ponto
agmina prima Padi caelo tum feruere aperto
uicinasque faces rutili manet Orionis?
curricula ut sollers uero mox indice discat
certa tenebrarum possitque fideliter astro
explorare notos et tuto carbasa ponto.
credo, ni desit magnorum congrua cura,
prompta uia est ipso cognoscere talia semper
praeceptore Ioue et caelo tibi signa magistro
omnia ducentur. monet alta Iuppiter aethra
singula nos, facilis ueram dedit arbiter artem,
ne tempestatum primordia caeca laterent.
    Nonne uides, primum cum Phoebe in cornua surgit
tenuia et angusto lumen iacit ore per aethram
decedente die pronoque ab tramite solis,
promat ut ingressi sollers tibi tempora mensis?
namque facem quarti sibimet profitebitur ignis,
corpora cum primum perfundens lumine nostra
in subiecta soli tenuem porrexerit umbram.

1312 sustollitur expuit *V quattuordecim litterarum spatium uacuum praebet A* 1313 sorbet *Grotius* sorbent *V* sorbens *A* 1314 nunc *Schraderi commentarius Berol. cf. Hermes XVI* u. *122 n. 71* ne *VA* 1317 sollers *correxi* solers *V* soles *A* || uero *V* sueto *A* 1319 et *e* ut *VA* 1320 credo *V* crede *A* || ni desit *V undecim litterarum spatium uacuum habet A* || magnorum *V* magnarum *A* || congrua *V quinque litterarum spatium uacuum praebet A* 1321 prompta *e* prōta *V* pro *A* || uia *V septem litterarum spatium uacuum praebet A* || est *V* et *A* || cognoscere talia *V* cognosceret alia *A* 1322 praeceptore *V* preci *A* || Ioue et caelo *V undecim litterarum spatium uacuum praebet A* || tibi *V* de tibi *A* *u. 1323—1334 omittit et pro eis undecim duodecimue linearum spatium uacuum praebet A* *u. 1326 inscribitur* PROGNOSTICA *apud Morelium cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. I sq.* 1329 ingressi *Grotius* ingressis *V*

ast orbis medii si caedat Cynthia formam,
octauos ortus octauaque plaustra docebit.
denique cum toto dea iam surrexerit ore,
integer ut magni resplendeat ambitus orbis,
effluxisse sibi medii iam tempora mensis
monstrabit caelo. pleni cum rursus egena
oris eat, tanto procedens lumine formae,
inserit aeriis quantum dea nubibus ignis,
esse senescentis sibimet dispendia mensis
illa docet, quibus in rutili confinia fratris
tertia uix mundo superest uia. cum minus autem
umbrarum excludit, sunt tales quattuor ortus
marcentis lunae, quales sub mense renato
quattuor exsurgunt languentis luminis umbrae,
adque his octonas includunt ordine luces.
interiectorum numerum quoque nosse dierum
prompta uia est: proprio semper dea proditur ore,
scandat quanta polum, quotiens temone iuuencos
strinxerit et quanto iam tramite liquerit undas.
Ac decedentis postrema crepuscula noctis
bis sex signa tibi, quae uersat signifer orbis,
monstrabunt, cursu nam Phoebus singula mutat
semper et alterno succedit in omnia lapsu,
conficiens iter aetherium. nunc igneus istud

1333 ast *e* Astat *V* ‖ caedat *scripsi cf. Hermes XVI p. 126 n. 83* cedat *V* 1334 octauos *v* octauus *Ve* 1335 dea iam surrexerit ore *V om. A* 1336 ut magni resplendeat ambitus orbis *V om. A* 1337 effluxisse *V* effluxis *A* ‖ sibi medii iam tempora mensis *V om. A* 1338 monstrabit caelo pleni *v* monstrabit caelo spleni *V post XII litterarum spatium* pleni *A* Monſtrabit caelos pleni *e* 1340 ignis *scripsi* ignes *VA e* ignem *Grotius cf. programma Erfurtense a. 1882 p. X* 1341 senescentis *V* senes contis *A* 1342 in rutili *V om. A* 1346 luminis *e* lumine *V* lumines *correxit A* 1347 his *V* bis *A* ‖ octonas *V om. A* 1350 iuuencos *VA e* iugales *v cf. Hermes XVI p. 130 n. 91* 1355 succedit in omnia lapsu (labsu *V*) *Ve om. A* 1356 iter aetherium nunc igneus *V om. A*

astrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan
lumina miscetur, uel cum deuexus in undas
labitur et rebus formam absumpsere tenebrae,
uel matutino redit incunabula linquens
cum pelago et rebus suffudit luce colores.
sic diuersa diem comitantur sidera semper.
non ego nunc longo redeuntia sidera motu
in priscas memorem sedes, habet ista priorum
pagina et incerta rerum ratione feruntur.
nam qui solem hiberna nouem putat aethere uolui,
ut lunae spatium redeat, uetus Harpalus, ipsam
ocius in sedes momentaque prisca reducit.
illius ad numeros prolixa decennia rursum
adiecisse Meton Cecropea dicitur arte
inseuitque animis: tenuit rem Graecia sollers
protinus et longos inuentum misit in annos.
et primaeua Meton exordia sumpsit ab anno,
torreret rutilo cum Phoebus sidere cancrum,
cingula cum ueheret pelagus procul Orionis
et cum caeruleo flagraret Sirius astro.
  Hic est fons, unde et deduxit tempora lunae

1357 astrum *V* astr *A* ‖ adolet flammis alii nunc aurea Titan *V om. A* 1361 suffudit *e* suffidit *V* infudit *A* 1362 diem *V* die *A* ‖ comitantur *A* comittantur *V* 1364 memorem sedes *v* memore sedes *V* memoro sedes *A* memores edes *e* 1366 nam qui *I. Scaliger de emend. temp. II p. 73 sq. edit. II* nāq. *V* nanque *A* Nam quæ *e* ‖ solem *e* solon *VA* ‖ aethere *e* aethrae *V* aethera *A* ‖ uolui *A* uului *V* 1367 lunae *A* luna *V* 1368 momentaque *A* momenta quae *V* 1369 prolixa *e omittunt VA* ‖ decennia *V* decentia *A* 1370 Cecropea *e correxit V* Cecoprea *A* 1371 inseuitque *Schraderi commentarius Ber.* inseditque *VA* *u. 1373 in margine habet V; hoc loco omittit, post u. 1374 praebet haec*: exordia sumpsit ab anno *A* 1373 et *V* sed *e* ‖ primaeua Meton *v* primeuam ton *V* primeuaton *e* 1374 torreret *e* torret *VA* 1376 caeruleo *e* caerulea *V* ceruleo *A* 1377 hic est fons *scripsi cf. Hermes XIII p. 360 n. 41* hoc ut fontē *V* hoc et fontem *A* ‖ unde *e* undae *VA* ‖ deduxit *Grotius* et duxit *VA*

nauita, quom longum facili rate curreret aequor,
et quom ruris amans telluri farra parenti
crederet: ingenti petat haec indagine semper
seu qui uela salo, seu qui dat semina terrae.
nec mora discendi, breuis hic labor et breue tempus
poscitur, innumeros habet autem industria fructus.
utilitas te certa manet, praenoscere motus
si libet aerios et tempestatibus ipsis
edere principium. te primum sponte procellis
arcebis rapidis, te rursum principe fluctus
uitabunt alii, si certis singula signis
tempora discernas. nam mundi cardine uerso
ut stata raucisoni redit indignatio ponti.
saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu
mitia protenti requiescant terga profundi.
doctus securam subducit ab aequore classem
nauita et actaea retinet statione phaselum,
cum matutinae praesensit signa procellae.
namque alias caelo cum tertia lumina Phoebus
exserit, ille sali furit inplacabilis horror,
adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.
crebro quinta dehinc lux commouet Amphitriten,
saepe inopina mali clades ruit. omnia certis
indiciis tibi luna dabit, seu lucis utrimque
caesa facem, seu cum teretem concrescit in orbem.
sol quoque uenturas aperit tibi saepe procellas,
sidera producens et cum sale sidera condit.
  Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus

1378 quom *scripsi* quo *VA* 1379 et quom *scripsi* Etquora *V* Et quot *A* Aequora *e* || ruris *e* raris *V* aris *A* || farra *V* fama *A* 1381 seu qui dat *e* seuo quid at *V* sęuo quid at *A* 1382 hic *v* huc *VAe* 1384 praenoscere *V* praenossere *A* 1387 rapidis *VAe* rabidis *v* 1388 signis *Ae* ignis *V* 1393 aequore *Ae* aequorē *V* 1396 alias *v* alia *VAe* 1401 utrimque *V* utrūque *A* 1402 caesa *A* Cessa *V* || concrescit *A* concressit *V*

aequoris et magnos caeli callere tumultus,
quos det certa dies, qui longi tempore mensis
astrorumque uice et mundi ratione trahantur.
aeris inmadidi quiddam tellure creatum
spiramenta uomunt. uis hoc cum fudit in auras
uenarum, occulte patulo praetexitur agro
insubiectum oculis terramque supernatat omnem:
uuida materies, quam cum calor ignicomantum
hausit stellarum, superas subducit in auras
et concreta diu conpingit nubila mundo.
si minor haec madidi substantia caespite ab imo
subrigitur, tenues nebulae caligine fusa
tenduntur caelo. uis autem siccior olli
cum fuit, in celeres dissoluitur undique uentos
uicinumque sibi flabris dominantibus ultro
aera propellit. si maior protinus umor
consurrexit humo, pluuias quoque nubila fundunt
et pluuiis late calor est pater. hic super imbres
exprimit et ductum feruentis ab obice mundi
respuit umorem. si moles magna utriusque
occurset sibimet uelut obuia comminus agri,
conpulsu aerio fragor intonat amplaque late
murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
hic inflictus item diuersorumque per aethram
saepe superne furens inlisio fulgoris ignes

1407 quos *V* quid *A* || qui *Grotius* quid *VA* || tempore *Grotius* tempora *VA* 1408 trahantur *A* tractantur *V* *de uersibus 1409—1432 cf. Hermes XVI p. 128 n. 90 u. 1409 omittunt VA* 1409 inmadidi *e* immadidum *v* 1410 fudit *V* fundit *A* 1412 insubiectum *V* in subiectum *A* || supernatat *v* super notat *VA* supernotat *e* 1413 uuida *N. Heinsius* Vulta *V* Multa *A* Multaq; *e* 1417 nebulae *A* nubulę *V* 1419 dissoluitur *A* dissoluit *V* 1422 humo *A* umo *V* 1424 et ductum *Schaubachius* et ducta *VA e* || ab *Schaubachius* ut *VA e* 1426 sibimet *A* simet *V* 1427 conpulsu *correxi* compulsu *A* conpulsa *V* 1430 inlisio *V* illisio *A* illiſo *e* || fulgoris (*ex* fulguris *mutauit A*) *VA e* fulguris *v* *cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XIII*

excludit rutili totamque uolantibus aethram
praestringit flammis et caelum sulfure odorat.
omnibus his genetrix tellus et caespite ab imo
ducuntur superi motus. ipsa ignea mundi
lumina, flammigero Phoebus temone coruscans
et quae noctiuagos attollit Luna iuuencos,
his peperere malis exordia. namque deorum
mouit humum cum forte calor, laxata repente
spiramenta soli uenas procul altaque pandunt
uiscera telluri. bibit imum terra calorem
desuper et madidum tepefactus caespes anhelat.
aeris hos motus rabiemque uolubilis undae,
flabra procellarum, mundani tramitis iras,
praesentire decet. cape sollers singula mente
praeceptisque uirum sitientia pectora pande.
Cynthia cum primum caelo noua cornua promit,
cautus utrimque deam circumspice, namque reuectae
nequaquam semper similis lux inbuit ortum,
sed species diuersa trahit uarioque notatur
formarum. primi cum surgit luminis igne,
tertia cum rutilat, cum maior sideris aethram
scandit et aerias quarta face luminat oras,
ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.
haec castigato si tertia fulserit ortu,
pura sit ut foedis ab sordibus, adfore dicet
clara serena diu. tenui surrexerit autem
si face et ignito suppinxerit ora rubore,
turbida certantes conuerrent aequora cauri.
luminis ista dehinc si crassior adque retunsis

1432 sulfure *A* sulpore *V* sufure *e* 1434 motus *v* metus *VA e* 1435 flammigero *e* flamigero *VA* 1436 iuuencos *VA e* iugales *v* 1437 peperere *e* perere *VA* || deorum *VA e* deorsum *v cf. Hermes XVI p. 131 n. 92* 1442 rabiemque *V* rabieque *A* 1453 erit plene *e* eritq. lene *VA* 1454 fulserit *V* fulxerit *A* 1458 conuerrent *V* conuertent *V* || cauri *v* chauri *VA e*

cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
percussi tenuem protendat corporis umbram,
imbribus aut zephyris hebetabitur, arguet ultro
flabra noti aut pluuias. nam crassus desuper aer
cornua caeca premit, notus uuidus aera cogit.
tertia si rursum protollat Cynthia cursus,
sic subrecta faces et acumina tenta coruscans,
ut nec curua quasi declinet cornua nec se
fusa supinato diducat lumine in auras:
occiduo zephyrum praedicet surgere mundo
aut Libyae de parte notum. sin quattuor autem
Cynthia curriculis caelum subit adque coruscis
cornibus inmodice prostantibus exserit ignes,
uis prolixa salum ciet, ocius omnia cauri
marmora conuoluent, fera uerrent flabra profundum.
istius in borean quod se sustollit acumen,
si curuum specie uelut adnuat, adfore caelo
saeua procellosi praedicet flabra aquilonis.
namque hoc urgeri sese adserit hocque grauari,
si luna alta tuens docet inclinarier alta.
indice rursus eo ueniet notus, hanc ubi partem
pone supinari conspexeris inque reclinem
sponte habitum pandi, nam subrigat auster acumen
inferiore plaga. si lunam tertius ortus
proferat adque deae conuoluat circulus oras

1460 ortu *v* ortum *VAe* 1461 percussi tenuem *Grotius* percussi ut tenuem *VAe* 1468 lumine in auras *A* luminen-inauras *V* lumen in auras *ev cf. Hermes XVI p. 131 n. 93* 1470 Libyae *A* lybiae *V* 1472 prostantibus *v* prosstantibus *V* prostrantibus *Ae* ‖ exserit *Grotius* suserit *V* usserit *correxit A* 1473 uis *Grotius* uix *VA* ‖ cauri *v* chauri *VAe* 1474 fera *A* ferra *V* ‖ uerrent *V* uertent *A* 1476 specie *A* speciae *V* ‖ adnuat *correxi* anuat *V* annuat *A* ‖ adfore *e* afore *V* affore *A* 1479 si luna alta tuens *scripsi cf. Hermes XIII p. 363 n. 46* Sũma altę tuendo *V* Summa alte tuendo *Ae hunc uersum omittit v*

suffusus rutilo, mox tempestate sonora
spumosum late pelagus canescere cernes.
maior et haec rauci uersabit gurgitis undas,
ipsa quoque inmodice si uultum luna rubescat.
  Contemplator item, seu plenum luminis orbem
Cynthia distendit, seu cum teres ambitus olli
caeditur et mediae uelut indiga lucis utrimque
sustinet obductae sibimet dispendia formae,
cornua prima replens et cornua fessa dehiscens.
induit ac qualem procedens ore colorem,
hunc perpende oculis, ipso monitore dierum
signa tene ac totum discerne in tempora mensem.
non unum deprehensa diem tibi signa loquuntur
nec uulgo in cunctis adsunt praecepta diebus,
sed quae signa nouo dederit nox tertia motu
quartaue, sustollat medios dum Cynthia uultus,
durabunt caelo. medio quae edixerit ore
ignis in plenos, hinc in dispendia rursus
altera prouisae signantur tempora lunae.
illa dehinc, donec germani luminis ignis
accedat Phoebe, mensis postrema notabunt.
hoc, quod protento uehit ingens mundus inani,
aera nomen habet; quod spirat caespite tellus,
nubila dicuntur. caelum super aula deorum
axe adamanteo conuoluitur. hic sua certis
sunt loca numinibus. borealis uerticis altum

1490 cum *V* tum *A* *cf. Hermes XVI p. 132 n. 94* 1491 caeditur *V* ceditur *A* || indiga *A* indica *V* 1493 fessa *VA* fissa *Grotius* 1494 induit ac qualem *A* Induit ae .... † et aequalem *V* 1495 hunc *Grotius qui idem* hanc *coniecit* hanc *correxit V* hinc *A* 1497 deprehensa *VA e* deprensa *v cf. Luc. Mueller de re metr. p. 253* 1499 nox *v* mox *VA e* 1500 dum *A* du *V* 1502 ignis *A e* ignes *V* 1505 Phoebe *V e* Phoebo *A* Phoebae *v cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XII sq.* 1506 uehit *V* uelut *A* 1508 caelum *V* celsum *A* 1509 axe adamanteo *Schraderi commentarius Berol. Hauptius* (*Hermes VII p. 13*) axea denteo *VA*

regia Saturni. qua siccior annus anhelat
aestatis rutilo, calida stat Iuppiter aethra.
inmodicus terram qua desuper ignis adurit,
Gradiuo incolitur. brumalis pulsus habenas
qua Solis redigit, pulchro Venus optinet astro.
ast ubi demerso latet ater circulus orbe,
cessit Mercurio locus umbrifer. his super amplas
quinque tenens zonas certo uia feruida Soli
limite decurrit. tum Lunam nubila propter,
exhalantis humi qua spiramenta madescunt,
ima uehunt caeli. lux it dum fusa frequenter
desuper in nubes, rutilantis lampada lunae
pascitur umore et uarias dea lumine formas
exprimit inserto. sic crebro denique Phoebe
nubibus ambiri, cum subsint nubila lunae,
creditur. hanc quotiens includere circulus ergo
spectatur, proprio succedunt ordine signa:
ille alias trino conuoluit tramite lunam
et geminus plerumque meat, solet unicus idem
cingere. si simplex circumuersabitur orbem,
signa procellarum certissima, signa sereni
praeferet; abruptus subito praenuntiat euros.
marcescens tenui sensim caligine et aethra
digestus patula docet undis adfore pacem.

1511 anhelat *e* hanelat *V* anhęlat *A* 1513 terram *v* terra *VA e* 1515 optinet *V* opprimet *A* 1516 ast ubi demerso *V om. A* || ater *V om. A* 1517 cessit Mercurio *V om. A* || umbrifer *VA* imbrifer *e cf. Hermes XVI p. 133 n. 95* || his *e* hi *V* hic *A* 1518 quinque tenens *v* quinque tenet (? *V*) *Ve om. A* 1519 tum lunam *Grotius* cum luna *V om. A* || nubila *e* inubila *V om. A* || propter *V om. A* 1520 exhalantis *V* exhallantis *A* 1521 lux it dum fusa *Grotius* luxit dum (?) frustra *V* luxit (*trium litterarum spatium uacuum*) frustra *A* 1525 ambiri cum subsint *V* ambicum (*duarum litterarum spatium uacuum*) subsint *A* 1528 alias trino *V* ab austrino *A* 1530 orbem *VA e* orbis *v cf. Hermes XVI p. 133 n. 96* 1532 abruptus *v* abrutos *V* abruptos *A e* 1533 marcescens *e* marcens *VA* || tenui *v* tenuis *VA e*

si duo se lunae circumfudere, repente
maxima uis pontum, uis uerret maxima terras
maioresque dehinc agitabunt stagna procellae,
si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem;
et magis inmodica formidine saeuiet auster,
zonarum taeter fuerit si tractus in aethra.
denique disrumpant si sese cingula lunae,
ultima tempestas ruet imi gurgitis aestum.
  Solis quin etiam, solis tibi cura uidendi
sit potior, solem melius praeuisa sequuntur
astrorumque duci monstrata tenacius haerent,
siue ille occiduas uergat decliuis in undas
seu se luciferis reparabilis exserat oris.
istius ingentes radii caliginis atrum
et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
lumine disiciunt, cum per chaos umbriferum uis
flammea peruasit. cum se per noctis amictus
inserit aeriae fulgor facis, ille calore
pigra mouet, stimulat rutilis torpentia flammis.
Sol sopita animat, Sol dura obstacula primus
curru adamanteo reserat pater. efflua Phoebus
igne inhibet, Phoebus radiis densata relaxat.
at cum flammigeri cedit uis inclita solis,
lucis egens, crassaeque deus latet obice nubis,
et caelo et pelago magnos ait adfore motus.
non hic, cum primos educet gurgite uultus,
ceu picturato diuersos ore colores
proferat. haut etenim tali tibi sole reuecto

---

uersus 1543 inscribitur SOL *VAe* 1545 astrorumque *A* Austrorumque *V* ‖ tenacius *e* tenauus *V* te nauus *A* ‖ haerent *V* haerens *A* 1550 disiciunt *scripsi* difiiciunt *Grotius* dispiciunt *V* despiciunt *A* difficuit *e cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XII* 1551 se per *Grotius* semper *VAe* 1552 calore *V* calori *A* 1553 stimulat *Grotius* simulat *V* simul at *A* 1544 animat *A* animet *V* 1556 relaxat *A* relixit *V* 1560 primos educet *v* primo seducet *Ve* primo subducet *A* 1562 sole reuecto *V* sydere uecto *A*

mitia iam caeli fas expectare serena.
et si tranquillo conuexa cucurrerit astro
indideritque facem ponto deus integer, ora
nube carens purusque comas et splendidus orbe,
conuenit eoae faciem praesumere lucis.
sed non ora cauo similis medioque recedens
orbe quasi uel si radios discingitur ultro,
figat ut australem porrecto sidere partem
aut borean rigidi iaculetur luminis igne,
et uento et pluuiis reparata in luce carebit.
Denique per flammas procul adque incendia Solis,
ipsa dei cedunt blandi si lumina, sollers
tende oculos, certa hoc ducentur signo magistro.
et ne sanguineus late rubor inbuat ora,
qualia protractu uaga nubila saepe rubescunt,
aut ne labenti piceus color abdat amictu
lampada, quaere diu. si taetro crassior orbe est,
uuescet pluuiis tellus inflataque celsas
aggere deuicto superabunt flumina ripas.
ignea si fulgor percurrit plurimus ora,
flamina crebra salis quatient uada, flamina terras
conuerrent omnis et duri flabra aquilonis
siluarumque comas et celsa cacumina flectent.

1564 astro *Grotius* austro *V* astro (*deleuit A*) austro *A* 1565 facem *A* face *V* || ora *VA* ara *e* atra *v* 1566 comas *N. Heinsius* coma *VA e* || orbe *VA e* orbem *F. Matthiae* 1567 faciem *V* facem *A* 1571 aut *VA e* ac *Grotius* || iaculetur *V* iaculentur *A* || igne *V post duarum litterarum spatium uacuum* ne *A* 1572 in *VA deleuit Grotius* 1573 solis *v* solers *VA e* 1574 sollers *v* solis *VA e* 1575 magistro *V* sinistro *A* 1577 protractu *e* protactu *V* pro (*quinque litterarum spatium uacuum*) tactu *A* || saepe *V* om. *A* 1578 labenti *e* libenti *V* liuenti (?) *A* || abdat *V* abdit *A* 1579 quaere *V* qua ore *A* || taetro *e* retro *VA* 1580 uuescet *V* Versetur *A* || inflataque celsas *V om. A* || *hic finitur Aratus V u. 1582—1749 leguntur post descriptionem orbis terrae A* || 1583 flamina *v* flumina *A* Elamina *e* || flamina *scripsi cf. Hermes XVI p. 133 n. 97* flumina *A e*

uis simul amborum si uultum solis oberret,
cuncta noti quatient, imbres procul arua rigabunt.
  Ecce alias primo nascentis solis in ortu
uel cum praecipites pelago deus inserit ignes,
ut coeunt radii nebuloso! cetera quippe
pars Hyperioniae rutilat facis hicque comarum
uis confusa micans mundo sua lumina praestat.
hic globus ater item liuentia nubila cogit.
non numquam crasso nebularum tectus amictu
in conuexa redit, tum caelo rursus aperto,
cum ruit, opposita uultum caligine condit:
omnibus his signis in terram defluit imber
plurimus. interdum tenuis praeuertere nubes
uisa deum. haec celeri si praesurrexerit ortu
ipseque pone sequens radiorum luce carere
cernatur, nimbis ingentibus arua madebunt.
at matutini si Phoebum litoris acta
maiorem solito produxerit adque per aethram
marcenti similis defluxerit extimus orbis
adque dehinc scandens minuat iubar igniferum sol,
pura serena aderunt. namque olli gurgitis aer
crassior inmodicum surgens diffuderat orbem
et iam se tenero sustollens tramite caeli
oblitum iusti iubar attrahat. hic quoque, magnis
cum madefacta dies sub tempestatibus horret,

1587 cuncta noti quatient imbres *e* ʒiiacca (*sic!*) nocti quaties indes *A* 1593 item *e* iter *A* ‖ nubila *e correxit A* 1599 si *v om. A e* ‖ praesurrexerit *e* pressus surrexerit *A* ‖ ortu *Grotius* ortum *A e* 1601 cernatur *v* Lętatur *A* Certatur *e* 1602 Phoebum litoris *Grotius* Phoebum in littoris *A* 1603 adque (atque *e*) per *e* ad ap *A* 1605 adque dehinc *scripsi cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XI sq.* abcade hic *A* Alta dehinc *e* ‖ iubar *e* uiuat *A* ‖ igniferum *e* igniparum *correxit A* 1606 serena *v* secene *A* ſerene *e* ‖ olli *e* orri *A* 1607 inmodicum (immodicum) *Grotius* ī modicum *A* ‖ surgens *v om. A e* ‖ diffuderat *v correxit A* diffunderat *e* 1608 se *Grotius* si *A e* 1609 oblitum *e* Obliquum *A* 1610 dies *Grotius* die *A*

pallidus ora cadens promittit pura serena.
displosis etenim per apertam nubibus aethram
ora laboranti similis languentia pallet
et disiectarum moles late nebularum
indicat exuti faciem clarescere mundi.
quin nascente die uenturos conuenit imbres
noscere, cum proni procul ad confinia caeli
deferri piceo spectaris nubila tractu.
et cum declinant radii se partem in utramque
lucis in occasu, nox ut serat algida rores,
imber erit. puras si Phoebus condat habenas
et Calpetano tranquillum gurgite lumen
tinguat et inlapsum nubes ignita sequatur,
noxque diesque dehinc uenturi rursus Eoi
nimborum expertes et tempestatibus atris
durabunt. sed cum radiis marcentibus ardor
languet et in tenui tenduntur acumine frustra
Phoebei crines, nimbos aget atra procella.
talis et obducti cernetur forma diei,
qualem fraternos subtexens luna iugales
lucem hebetat: subit haec superi sacra lumina solis
inferior mediaeque interstans lampadis orbe

1611 cadens *e* calens *A* || pura *e* para *A* 1612 displosis *e* diplosis *A* || etenim *e* sed enim *A* 1614 disiectarum *e* dissectarum *A* 1615 exuti *e* et uti *A* || clarescere *e* calor ascere *A* 1616 quin *v* Cum *A* Qui *e* 1617 noscere *e om. A* 1618 deferri *v om. A* De ſeri *e* || spectaris *e* spectantis *A* 1620 occasu *e* hoc casu *A* 1621 puras *e* primas *A* || condat *Grotius* condit *A* 1623 tinguat *e* tingat *A* || inlapsum *correxi* illapsum *Schraderi commentarius Berol.* in lapsum *A* in lapſu *e* 1624 noxque *e* Nanque *A* 1625 expertes *e* et ptes *A cf. Hermes XIII p. 359 n. 37 et XV p. 182 n. 51* 1626 cum *e* dum *A* 1627 languet *e* langueat *A* || in *v om. A e* || tenui *e* tenuat *A* 1630 fraternos *e* nox fratrem *A* 1631 hebetat *v* habitat *A e* 1632 inferior *e* inferius *A* || interstans *v* uter trans *A* inter ſtans *e*

arcet flammigerae radium facis. haut tibi rursum,
cum matutinos molitur lucifer ortus,
ebria sanguineae subuoluant uellera nubes;
namque grauis caelo fundetur protinus imber.
Nec si sole procul rutila inter stagna morante
emineant radii, radios quoque crassior umbra
contegat, ille dies pluuiis uentoque carebit.
quin erit imber item, si solem circulus ater
ambiat exortum. maior se denique nimbus
urgebit caelo, maior sola perluet imber,
circumfusa adeo si cingula nescia solui
seruarint taetrae speciem torpentia molis.
saepe etiam Phoebo nubes percussa rubescit
et meditata dei formam procul igne recepto
concipit effigiem, simulato luminis orbe.
id qua parte poli spectaueris, adfore ab ipsa
parte tene uentos. tamen haec, tamen omnia semper
decedente die melius uentura docebunt.
Conuenit hic etiam paruum praesepe notare.
id nubi nomen, quae cancro obuoluitur alto,
Graecia docta dedit. duo propter denique asellos
suspice, quorum alius septem uicina trioni
astra adolet, tepidum procul alter spectat in austrum.
in medio quod nube quasi concrescit adacta,

1633 arcet *e om. A* || flammigerae *v* flamiger *A* flammigere *e* || radium *e* aera dium *A* || haut *Grotius* aut *A e* || tibi rursum *e* abi rusfum *A* 1635 ebria sanguineae *v* Et nasan ganea *A* Ebria sanguinea *e* 1636 fundetur *e* fundo cur *A* 1637 rutila inter *e* rutilantis *A* || stagna *e* anga *A* || morante (*correxit A*) *A e* 1638 radios *e* radio *A* || crassior *e* rasior *A* 1640 erit *e* nent *A* 1641 exortum *e* exortam *A* 1643 adeo *e* dea *A* || si cingula *e* sic ingula *A* 1644 seruarint *scripsi cf. Hermes XIII p. 361 n. 42 item Schraderi commentarius Berol.* seruarent *A e* || taetrae (tetre) *e* ta eo *A* 1646 dei *e* die *A* || igne *e* ore *A* 1648 qua *e* qd *A* || spectaueris *e* pectaberis *A* || adfore *e* affore *A* *u. 1651 inscribitur* Aselli *A e* 1651 praesepe *v* prerepe *A* presepe *e* 1652 quae *e* q *A* 1655 tepidum *e* termum *A* 1656 concrescit *e* concessit *A*

id praesepe uocant. porro hoc praesepe repente
si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
congruus aeriis late rubor ignis asellis,
nequaquam tenues agitabunt stagna procellae.
at si sideribus similis lux duret et illi
taetra sit effigies, cadet altis nubibus imber
lenior et parco mox tellus rore madebit.
sed boreae si parte trucis uelut indiga iustae
stella facis lento marcescere cernitur igne,
et procul alterius iuba late flagrat aselli,
protinus Aethiopum surget conuallibus auster.
at regione noti si lucem stella senescat,
saeuus Riphaeis aquilo crepitabit ab oris.
  Quin et terrenis cape rebus certa frequenter
signa procellarum. nam cum traxere tumorem
aequora prolixum, cum litora curua resultant
sponte procul neque caeruleus colliditur aestus,
aut cum proceris uertex in montibus ultro
perstrepit aerium, uentos instare docebunt.
  Et cum parua fulix trepido petit arua uolatu,
stagna sinens, longasque iterat clangore querelas,
indicat insanis freta mox canescere uentis.
denique cum caelo tenduntur pura serena,
saeuitura polo sunt flamina, primus in ipsa
mox picturati cum uertit pectoris artus

1657 id *e* in *A*   1658 auferat *Grotius* aufert *A* auferri *e* auferet *v*   1662 cadet *e* ruet *A*   1663 parco *e* pars eo *A* || rore madebit *e* rorem adebit *A*   1664 iustae *v* iuste *A e*   1666 alterius *e* agitenus *A*   1668 at *e* A *A*   1669 Riphaeis *e* Ripheisa (*deleuit A*) Rhipheis *A* || crepitabit *e* trepidabit *A* *u. 1670 inscribitur* Venti *A e*   1671 cum traxere tumorem *e* contraxe humor *A*   1673 caeruleus *v* ceruleas *A* ceruleus *e* 1675 uentos *e* uentus *A*   1677 clangore *e* langore *A*   1679 serena *e* sereno *A*   1680 saeuitura *v* Seruit ura *A* Seruitura *e*   1681 picturati *e* picea rati *A* || cum uertit *scripsi cf. Hermes XIII p. 361 n. 43* conuertit *A e*

sturnus edax, premat ut tenues uis obuia plumas
et ne post tergum pateat penetrabilis euro.
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
saepius et summa nebulas se tendere rupe,
iamque super latices florum uolitare senectam
stellarumque comas rumpi procul, aethere celso
decidere in terras, rutilarum spargere crines
flammarum et longos a tergo ducere tractus:
inde etiam uentos mox adfore praemonet usus.
Quodsi diuersis se passim partibus ignes
excutiant, uerret pelagus sine fine modoque
turba procellarum, si duri limite ab euri,
si regione noti, si lenis parte fauoni
aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.
Si repetant ueterem ranae per stagna querelam,
uellera si caelo uolitent, si discolor Iris
demittat gemino se fornice, circulus albam
si stellam taeter uelut ambiat, aequora propter
si crepitent uolucres, si gurgite saepius alto
pectora mersentur, si crebro garrula hirundo
stagna adeat, rutilae cum sunt primordia lucis;
si matutinas ululae dant carmine uoces,
improba si cornix caput altis inserit undis,
flumine terga rigans, si saeuit gutture rauco,
plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
Imber erit, latis cum bucula naribus auras
concipit, et late pluuiis sola cuncta natabunt,

1682 tenues *e* tenus *A* 1683 post tergum *e* postergam *A* 1684 Latipedemque *v* Lata pedemque *A* Latipedem quae *e* || excedere *e* exedere *A* 1685 se tendere *e* ascendere *A* 1686 senectam *e* senetiam *A* 1690 usus *e* arui *A* 1692 uerret *e* uertet *A* 1693 euri *e* eari *A* 1694 fauonii *correxit A* fauonii *e* 1696 repetant *N. Heinsius cf. praef. p. XIX* repetunt *A e* 1701 hirundo *e* irundo *A* 1702 stagna adeat *e* si (*quinque litterarum spatium uacuum*) adeat *A* || sunt *Grotius* sint *A* 1703 ululae dant *e* hululae dent *A* 1707 bucula *e* buccula *A*

cum proprias sollers sedes formica relinquet.
oua cauis ecfert penetralibus, aspera quippe
tempestas gelidusque dies et frigidus aether;
inserit internis terrarum sedibus aestus.
pectora cum curuo purgat gallinula rostro,
agmine cum denso circumuolitare uidetur
graculus et tenui cum stridunt gutture corui;
cum procera salum repetit clangore frequenti
ardea, cum paruae defigunt spicula muscae
et si nocturnis ardentibus undique testis
concrescant fungi, si flammis emicet ignis
effluus aut lucis substantia langueat ultro:
conuenit instantes praenoscere protinus imbres.
denique cum patulum torrens Vulcanus ahenum
scintillas flamma circumlabente relinquit;
si notus humentis Libyco ciet aethere nubes
siue imum ad montem nebularum crassus amictus
tendatur, summo nudentur uertice saxa;
et qua pontus item freta per distenta quiescit,
nubila si longo se procumbentia tractu
diffundunt: caelo et Thetidi terrisque supinis
pax aderit, nusquam mundo ruet effluus imber.
Sed cum tranquillo tenduntur clara serena
sub Ioue, uenturae praenoscere signa procellae

1710 oua *v* Quaque *A* Qua *e* || ecfert *scripsi cf. Hermes XIII p. 362 n. 44* effert *A* haec fert *e* 1712 sedibus *A* reditus *e cf. Hermes XV p. 182 n. 52* 1715 graculus *e* Gracchulus *A* 1716 clangore *e* langore *A* 1717 ardea *e* Ardua *A* 1719 concrescant *Grotius* Concrescunt *A* 1721 conuenit *e* Cum uento *A* || protinus *e* proxim (*del. A*) protinus *A* || imbres *e* imber *A* 1722 torrens *v* torret *A e* || ahenum *v* ah (*del. A*) ahęnum *A* aenum *e* 1724 humentis *e* humentes *A* 1725 siue imum *Grotius* si nimum *A* || amictus *e* amictu *A* 1728 procumbentia *e* copum bretia *A* 1729 caelo et Thetidi *A* caelo Thetidi *Grotius cf. Hermes XVI p. 134 n. 98* 1730 pax aderit nusquam *e* pando anus quam *A* *post u. 1730 lineam uacuam habet A* 1731 clara *Schraderi commentarius Berol.* castra *A* || serena *e* sereno *A* 1732 sub Ioue uenturae *e* subia uenentur *A*

conuenit ac rursum, cum perfurit aeris horror,
inspice, quam referant terris pelagoque quietem.
inter prima tamen paruum praesepe notatur,
arduus excelso quod cancer cardine uoluit.
hoc, cum concretus tenuari coeperit aer,
discutit inpositae late sibi molis amictum.
namque sereniferi patet hoc in flabra aquilonis
comminus et primo purgatur flamine uenti
tempore. tum proprium modulatur noctua carmen,
tum uespertinum cornix longaeua resultat,
tum corui crepitant et ouantes gutture rauco
agmina crebra uocant, tum nota cubilia laeti
succedunt pariter, tum pinnis corpora plaudunt.
Tunc et Strymonias circumuolitare repente
suspicies per aperta grues, ubi mitior annus
sponte procellosum disiecerit aera caelo.
tunc quoque, cum stellis hebes est lux omnibus ultro
nubila nec crassos circumduxere meatus,
ut iubar occulerent flagrantibus obuia flammis,
nec caligo inhibet rutilantis lampados ignis,
orbe nec expleto sacra sidera luna retundit,
sed iam sponte sua stellarum lumina marcent:
conuenit hibernae praenoscere dura procellae.
nubila si caelo consistere, nubila ferri
sique superfundi sibimet suspexeris ultro,

1734 referant *e* refrenent *A* 1735 paruum *e* prauum *A* || praesepe *v* praespecta *A e* 1737 hoc *e* hac *A* 1738 molis *v* mollis *A e* 1740 comminus (cominus) *Grotius* Cum minus *A* || purgatur *e* purgantur *A* 1741 tum *L* cum *A* || proprium *Grotius* propior *A* proprio *L* *u. 1743 om. A* 1743 ouantes *L* ouantia *e* 1744 tum *L e* uel *A* 1745 pinnis *A* pennis *L* 1746 Strymonias *L e* Strymonia *A* 1747 aperta *A* arta *L* 1751 occulerent flagrantibus *A* occurrent fraglantibus *L* 1752 ignis *L* ignes *A* 1753 sacra sidera *L e* saes sydera *A* || retundit *L* recundit *A* 1754 stellarum *L e* stellas ut *A* 1755 dura *A* signa *L* 1757 suspexeris *L v* suspexerit *A e*

gramina si carpit semesa petacius anser,
si nocturna tibi cornix canit, hesperus aethra
cum redit, innumero si cantu graculus instat,
si matutino fringuilla resultat ab ore,
si fugiunt uolucres raptim freta turbida Nereí,
orchilos infestus si floricomis hymenaeis
ima petit terrae, si denique paruus eritheus
succedit trepide scruposae concaua rupis,
Cecropias si pastus apes uicinus ob ipsa
castra inhibet florumque simul libamina maestae
proxima decerpunt, si Threiciae per aperta
sponte grues trepidant nec sese audacibus aethrae
committunt pinnis, ut longos saepe uolatus
formauere super, si soluit aranea casses,
tenuia si toto uehit auster licia caelo:
mox tempestates et nubila taetra cientur.
    Quid maiora canam? cinis en, cinis ipse, repente
cum coit, albenti nix terras uestit amictu.
nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
summa rubent errantque breui caligine crassae
interius nebulae et denso iam fomes in igni
marcescit penitus. pluuios mox arguet austros,
induit inmodicis cum semet floribus ilex.
indiga nam suci ligno natura rigenti est
et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur,

1758 gramina *A* tramina *L* ‖ semesa petacius *v* se mens apetat ius *A* semensa petacius *L e* ‖ anser *A* anfer *L* 1760 innumero *v* in numero *A e* innumeres *L* ‖ graculus *e* gracchulus *A* gragulus *L* 1761 fringuilla *e* pinguilla *A* frinquilla *L* 1762 raptim *A* rapti *L* ‖ Nerei *L e* Nesei *A* 1763 hymenaeis *e* hymineis *A* 1764 petit *e* pete *A* 1765 trepide *scripsi cf. progr. Erfurt. a. 1882 p. XII* trepidae *A e* ‖ scruposae *e* sa ruposae *A* ‖ rupis *e* puppis *A* 1769 grues *A* graues *L* ‖ audacibus *L* audacius *A* ‖ aethrae *L e* aethra *A* 1770 pinnis *A* pennis *L* ‖ longos *v* longus *A e* longos *L* ‖ uolatus *A* uolatur *L* 1772 licia *e* litia *A* 1774 cinis en cinis *Grotius* cinis cinis *A* 1776 prunis *e* primis *A* 1777 breui *e* breues *A* ‖ crassae *Grotius* crassa *A*

uentis caeli sibi nutrimenta latenter
sponte operata docet. quin et lentiscus amara
indicium est pluuiis. ter fetum concipit arbos
terque nouos genetrix fructus alit ipsaque trino
flore renidescens tria tempora prodit arandi.
ter prorumpentis scillae teres erigitur flos
sulcandique solum ter monstrat tempus adesse.
  Sic et crabronum rauca agmina si uolitare
fine sub autumni conspexeris aethere longo,
iam uespertinus primo cum commouet ortus
uergilias pelago, dices instare procellas.
sique sues lentae, si lanae sedula nutrix,
si capra dumosis errans in saltibus ultro
in Venerem pergat, quippe ollis uuidus aer
excitat internum per uiscera mota furorem:
et tempestates et nubila protinus atra
adfore praecipies. quin et gaudebit arator
quique solum iustis uersabit mensibus anni,
plebe gruum prima, gaudebit tardus arator
agmine pigrarum: sic quadam lege deorum
his comes est imber. pecudes si denique terram
lanigerae fodiant, caput at tendatur in arcton,
cum madidus *primum* per marmora turbida condit
pleiadas occasus, cum brumae in frigora cedit
frugifer autumnus, ruet aethra concitus imber.
at ne perruptis terrarum dorsa lacunis
infodiant pecudes, si uasto uiscera hiatu

1783 uentis *e* huuentis *A* 1785 ter fetum (foetum *e*) *e* terrę cum *A* 1786 trino *e* trinos *A* 1787 renidescens *e* reniscunt *A* 1788 teres *e* tener *A* 1790 uolitare *e* uolitasse *A* 1794 si lanae *e* syllanae *A* 1796 uuidus *e* huidus *A* 1799 praecipies *v* percipies *A* praecipites *e* || quin et *e* qui nec *A* || gaudebit *e* gaudebis *A* 1800 iustis *v* iusti *A e* 1802 sic *v* si *A e* || deorum *e* dearum *A* 1803 terram *e* terra *A* 1804 at *Grotius* aut *A* || arcton *v* arcum *A* arctum *e* 1805 primum *addidi cf. Hermes XVI p. 123 n. 72 om. A e* 1806 Pleiadas *A* pliadas *e* 1808 at ne *v* Anne *A* An ne *e*

discutiant terrae, ueniet uis aethere toto
dira procellarum, nix omnis uestiet agros,
nix herbas laedet teneras, nix uret aristas.
at si contigerit plures ardere cometas,
inualidas segetes torrebit siccior aer.
nam quae prorumpunt naturae legibus ultro
spiramenta soli, si iustus defuit humor,
arida, per caelum surgentia, desuper aethrae
ignescunt flammis mundique inpulsa calore
excutiunt stellas et crebro crine rubescunt.
Contemplator item: si longo plurima ponto
agmina festinant uolucrum solidamque frequentes
succedunt terram, sterilis desaeuiet aestus
ac sitient agri. nam qua circumflua tellus
adluitur pelago, coquit altas siccior aer
caespitis arentis uenas citiusque calorem
sentit humus succincta salo. fuga protinus ergo
est auium in terras; pauet, has ut uiderit, aestus
agricola et sicco iam deflet mergite culmos.
sed si tum modico producant agmina ab undis
nec trepido passim uersent conuexa uolatu,
laetitia est duris pastoribus, adfore parcos
praesumunt imbres. sic in contraria semper
uota hominis agimur nostrique cupidine fructus
poscimus alterius dispendia. denique et ipsa
sollers natura et rerum genitabilis ordo

1810 discutiant *v* Disijciant *A* Diffutiant *e* 1812 herbas *e* hęrbas *A* 1813 ardere *v* ardore *A e* 1815 prorumpunt *e* perrumpunt *A* 1818 ignescunt *e* ignescent *A* 1822 succedunt *e* succēdunt *A* || aestus *e* aestas *A* 1823 ac sitient *e* assicient *A* 1824 siccior *e* sicior *A* 1825 uenas *A* uentis *e cf. Hermes XVI p. 134 n. 99* 1826 succincta *Grotius* sic cincta *A* 1827 est *e* Festa *A* || has *Schraderi commentarius Berol.* hos *A* 1828 deflet *e* deflęt *A* 1829 si tum modico *v* si īmodico *A* fi modico *e* || ab undis *e* abundas *A* 1831 parcos *e* sarcos *A* 1834 poscimus *e* Poscimur *A*

certa suis studiis adfixit signa futuri.
namque et ouis cupido si gramina tondeat ore,
insaturata cibi, decerpens latius agros,
pastor id indicium pluuialis frigoris edet.
et si persultans aries lasciuius herbas
adpetat aut sese sustollant saltibus haedi
uel si iuge gregi cupiant haerere nec usquam
matribus abscedant et si sine fine modoque
pabula delibent, cum tutas uesper adire
conpellat caulas, monstrabunt adfore nimbos.
  Bubus arator item trahit atrae signa procellae,
lambere si lingua prima hos uestigia forte
uiderit aut dextrum prosternere corpus in armum,
uel si prolixis auras mugitibus inplent,
pascua linquentes uix uespere. dat capra moti
rursum signa poli, cum spinis ilicis atrae
multa inhiat. docet haec eadem sus horrida caeno,
gurgitis inluuie si saepius inuoluatur.
  Martius ipse lupus uillarum proxima oberrans
adfectansque locos hominum lectumque laremque
sponte petens crasso consurgere nubila caelo
praemonet. id parui cum stridunt denique mures,
cum gestire solo, cum ludere forte uidentur,
portendunt tibimet; canis id praesentiat, ultro
tellurem fodiens. tamen haec, tamen omnia rerum
adfore uel primo nimbos mox sole docebunt,

1836 certa suis *e* certas uis *A* 1837 ouis *e* uis *A* 1838 insaturata cibi *e* insatus atacibis *A* 1839 id *v* et *A om. e* 1841 adpetat *Grotius* appetit *A* 1843 abscedant *v* ascendant *A* abscendant *e* 1844 uesper adire *v* uespera dire *A e* 1845 conpellat (Compellat) *e* Compellas *A* ‖ nimbos *e* enim bos *A* 1847 lingua *v* linguam *A e* 1848 aut *e* ad *A* ‖ in armum *e* ina pinum *A* 1851 spinis *v* pinis *A* pinnis *e* 1852 caeno *e* cena *A* 1854 lupus *e* lusus *A* 1856 petens *v* potens *A e* 1859 id praesentiat ultro *scripsi cf. Hermes XIII p. 362 n. 45* idi rentia a[illegible]ltis *A* id praeſentia ultro *e*

uel cum curriculis lux ibit coepta secundis,
tertius aut uerso cum uenerit ortus Olympo.
Non spernenda tibi sunt talia, sed memor uni
adde aliud semper; si tertia denique signa
proueniant, firmo uenturum pectore fare.
et transactorum sollers conponere mensum
signa laborabis; si confluxere reperta,
nequaquam trepidare pudor persuadeat ullus.
astrorum lapsus, astrorum protinus ortus
discute, si casus similis et stella per aethram
prodidit. exacti iam summa crepuscula mensis
et surgentis item primordia conscius artis
fare sacrae. mensum confinia summa duorum
caeca latent. lucis haec semper semet in octo
inscia lunaris tendunt facis: ipsa fideli
perquires studio et siquid tibi forte repertum,
pluribus indiciis sollers fulcire memento.

1864 talia *v* alia *A e* 1866 pectore *e* peccat ore *A* 1867 et transactorum *v* Errans actorum *A* E tranſactorum *e* || mensum *e* [℘ mensium] mensum *A* 1868 si confluxere *Grotius* si sic fluxere *A* 1869 trepidare e trepida *A* || pudor *e* pudor at *A* || ullus *Grotius* ullos *A* 1874 sacrae *e* sacre *A* || mensum *e* [℘ mensium] mensum *A* 1877 perqüires *A* perquire *L* || tibi *v* sibi *A L e* *post uersum 1878 duabus lineis uacuis interiectis* Ruffi Festi Aratus explicit. Incipit eiusdem orbis terrę *A* RVFI FESTI ARATVS EXPLICIT INCIPIT EIVSDEM ORBIS TERRAE FELIX *e*

INDEX

NOMINVM ET RERVM MEMORABILIVM.